

**05**

**A**

**1337**





QUOD FELIX FAUSTUMQUE ESSE JUBEAT  
DIVINUM NUMEN!

*Autoritate Gratosissima Facultatis Medicæ  
consentiente*

# LAPIDEM BEZOAR,

SUB PATROCINIO

*Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi,  
Experientissimi*

DNI. CONRADI VICTORIS  
SCHNEIDERI,

Philos. & Medic. D. Prof. Publ. Celeberrimi, ejusdemq;

Facultatis Senioris Gravisimi: Potentissimi Electoris Saxonæ &c.

Medici Famigeratissimi, Spectatissimi,

*Dni. Patroni, Præceptoris & Promotoris sui omni honoris  
ac observantiæ cultu atatem suspiciendi, prosequendi*

Publicæ τῶν φιλιάτρων ventilationi  
submittit

Gottlieb Becker/ Stolp. Misnicus.

*In Acroaterio Medicorum hor. Antemer.*

*d. X. August. Anni M. DC. LXXIII.*

---

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS HAKEN.

LA PAULI  
RENOVA



05 A 1337

Goethe's Werke

LEIPZIGER VERLAG





ΕΥΝ ΘΕΩ ΤΩ ΙΑΤΡΩ ΧΡΙΣΤΩ.

ANTEAMBULO.



Miserum ac fragile hominum genus ab ipsâ statim nativitate ad tumbam usq; calamitatibus, laboribus, milleq; insuper ærumnis obnoxium esse, adeò, ut vivere teste *Cass. & Reies* nil aliud sit, quàm pati, dolere, mori; satis superq; satis constare arbitror. Hinc cum miserrimo *Job*, qui erat Esau pronepos, unusquisq; necesse habet fateri *quare misero data est lux & vita his, qui in amaritudine, anima sunt. cap. 3. v. 20.* Nascimur quippe singuli in miserias & cum vitâ fungimur, tum demum miseri esse desinimus; Prout concinnè admo dum atq; sapienter fragilitatem nostram apocryphus ille (*Ecclesiasticus dictus*) delineavit scriptor *cap. 40. 1.* Et verè: mori enim miserum non est, sed miser est ad mortem aditus; siquidem in eam non repentè incidimus naturaliter, sed minutatim, utut *Physicorum loqui amant filii procedimus: tacitisq; senescimus annis Ovid. l. 6. Fastor. 386. & paulatim lentâ morte consumimur. l. 15. Metamorph. fab. 3. 236.* Quis itaq; in dubium vocat aureum illud, quod apud Hippocratem in Epistolâ ad Damagetum exclamaverit Democritus, inquiens: ὁ λῶν ἀνθρώπων ἐκ θερμῆς νεύσεως. Ἰν. mox subjicit ἀποκτείνει ἡμᾶς τὸ θερμὸν ὅπερ ἐφύσε τὰ σώματα. h. e. calor ipse nos interficit qui corpora produxit. Vid. Thomas Philologus Ravenna de vita dominis ultra CXX. annos protrahenda, c. 7. p. 26. Ergò igitur cum nullus hominum de sorte alienâ gloriari queat: sive Reges sive inopes erimus coloni: Unda sc. omnibus, (sunt verba nobilis Poëtæ Horatii,) quicumq; terra munere vescimur enaviganda l. 2. Carm. Od. 14. Et quisq; suos patimur manes. *Virgilius l. 6. Æneid.* tormentaq; pro suo quisq; meritò ex lapsu Protoplastorum in nos derivatò. Vid. *Jani Huartè Scrutinium Ingeniorum Hispanico Idiome conscriptum, sed Latio do-*

2

natum

*datum ab Eschacio Majore in Proëm. ad Lector: Quùm, inquam,*  
 lethi via semel sit calcanda, mortis verò hora nos lateat ultima.  
 Hominiq; ex instinctu naturæ nocitura, ut quæ ad interitum; ten-  
 dant, declinare concessum sit, id propter quoad fieri potest vitam  
 prolongemus & pro viribus minitanti jam amaræ obstitamus mor-  
 ti. Id quod a. nonnisi medicamentis aliisq; mediis evenire docet  
 Thomas Philologus Ravenna. Quare n. tot ac tantæ medicami-  
 num species de terra crearentur, nisi usui sint mortalibus. *Natura,*  
*certè, uti nec abundat in superfluis, ita nec deficit in necessariis. Aristot-*  
*el. l. 1. de celo cap. 4. Et. 2. de part. animal. cap. 7.* Quùm vero nihil  
 frequentius hodiernum quàm morbi malignitatem ut plurimum,  
 redolentes: usq; adeò, ut delinqvat citius æger quàm se agrotare  
 sentiat: Lapis autem Bezoar non infimam sedem, in profligandis  
 morbis à malignitate ortis, mereatur: non frustraneam me insum-  
 pturum operam spero, si genuinam illius naturam tenui hac o-  
 pellâ delineaturus publico & placido Eruditorum examini veri-  
 tatis inquirendæ ergo susterem ac proponerem: quam etsi, *Galeno*  
*teste l. de U. Respirat. cap. 1.* non semper assequamur, omninò ta-  
 men propius nos ad eam perventuros spes est. DEUS T. O. M. Ar-  
 chiater cœlestis conatus nostros divina sua gratia clementissimè  
 adjuvet in sui nominis gloriam & exoptatissimam languentium  
 salutem!

## CAPUT I.

### De Definitione Bezoaris Nominali.

#### Thes. I.

**I**N ipsò autem limine dum stamus, antequam ad ipsam tractati-  
 onem accedamus, recordamur meritò præcepti illius Philoso-  
 phorum, quo volunt *ἀρχὴν τῆς παιδείας εἶναι τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν.* initium doctrinæ esse inquisitionem nominum. *Epicetu-*  
*sus tom. 2. Dissert. Arrian. cap. 17.* quia hac perspectâ faciliori moli-  
 mine in ipsius rei cognitionem provehi possumus, *J. C. Scaliger Ex-*  
*erc. 1. Sect. 1.* & uti vere Plato in Cratylo *ὅς ἀνείδη τὰ ὀνόματα, εἰ-*  
*σεται καὶ τὰ πράγματα.* Hinc vetus etiam Græcorum erat dicte-  
 rium *πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα.*

Thes. II, Tribus a. tota absolvitur ὀνοματολογία, quæ mu-  
 tuas

tuas sibi præstant operas: Παρωυμία, Ομωυμία & deniq; Ζωω-  
υμία. Circa Etymologiam ingens autorū occurrit litigium, adeo  
ut verè hic cum Horatio de Art. Poëtica dixeris:

*Grammatici certant & adhuc sub iudice lis est.*

Diversimode enim à diversis hæc vox derivatur & hærent adhuc  
Persicæ nūm, an Indicæ, an deniq; cum Hebraicâ Chaldaicæ lin-  
gvæ has deferant dotes? Persicam quippe agnoscentes linguam  
modò *Bad-zabar*, modò *Bedezabar* s. uti *Rabbi Moyses de venen.*  
*tract. 1. cap. 3.* cumq; eo *Santes Ardoynus, l. 1. de venen. 9.* loqui amant  
*Bezaart* legunt. Hanc amplexans derivationem *Antonius Deusing*  
ex Lexicographo Persa persuasus, genuinam subicere promittit  
appellationem, dicendo: Propriam esse *Bâd zeber* vel *Bâd-zabar*  
& *Ba-zabar*, vel deniq; *Pâzabar* q. *adversus* s. *contra venenum*.  
*Zabar* enim s. *Zeber* earum lingvâ *venenum* denotat *Bâ* verò vel  
*Bâd* vel *Pâ* s. *Pa* adversitatem s. repugnantiam significare creditur.  
*Jacob. Bontius not. ad cap. 45. Garz. ab Orta de lapid. Bezab. p. 43.*  
(Nota autem hîc Persarum incolas literam B. & P. in initio dicti-  
onis imprimis sæpius, imò sæpissimè commutari.) Eodem ferè  
modò ut *Rè Latinorum* vel *Græcorum* αὐτί, ut adeò *Bazahar*, teste  
eodem, propriè denotet Antidotum s. Anti-pharmacum *Tegen-*  
*gift*. Quod si verò *Articulus Arabum* præpositivus addatur *Al-ba-*  
*zahar* dicitur, vulgoq; expellens nocumentum. Quò nomine &  
*Avicennam, Capiuaccium* ut purè Persicum usos fuisse eorum scri-  
pta abunde satis comprobant: Sufficiant in præsens illius verba:  
*Albezabar & Theriaca sunt Medicina, quarum proprietas est, ut con-*  
*servent sanitatem, & virtutem in spiritu ut ex iis expellat nocumentum*  
*veneni à se.* Vid. *D. Caspar Bravo de Sobremonte Ramirez Disput. A-*  
*polog. pro Dogmat. medic. præstant. Sect. 5. Resol. 1. p. 168.* qui citat *l. 1.*  
*de venen. cap. 4.*

*Thes. III.* Aliqui ab eâdem lingvâ, sed ab animali capræ ma-  
gnitudinem superante & ad cervorum figurâ quàm proxime ac-  
cedente (hinc cervi capræ appellantur) vulgo *Pazan* dicto dedu-  
cere conantur, quod *hircum*, cui energeticus uterus rarum adeò  
partum conservans teste *Manfredo Septalio in Museo Septal. cap. 27.*  
*p. m. 69.* inest, significare creditur, vid. *Proregis Indiae Medicus ille*  
*Garzias ab Horto l. 7. Exoticorum cap. 45. p. m. 216. Henric. Salmuth.*

not. ad tit. 3. l. 2. *Guidon. Pancirolli p. m. 258. Anselm. Boetius de Boode de gemm. ac lapid. bistor. l. 2. cap. 191.* Hi omnes & Bazar forum, esse credunt: sic lapidem hunc qs. forensem dicunt. Quam tamen denominationem Garziæ interpretes *Carol. Clusius* frivolam, not. *Aromat. bist. cap. cit. p. 251.* imò fallacem *Jacob. Bonnius* dictitant, qui nimirum pro Pazar mutatâ litera P. in B. magis corruptè Indorum more Bazar s. Bazaar vocant: uti quidem inter alios *Casspar à Reies Elys. juc. quest. camp. quest. 67.* Et paullo post inquit *Clusius*: hæc omnia sunt anilia. Hinc rectè *Bonnus*: nemo ipsum unquam in foro venalem vidit. De hac verò magis Criticâ, quam utili evolutione legi poterit *Primerosius l. 4. de Errorib. vulg. cap. 36. p. m. 444.* Pluresve alii. Nos ad Arabicam accingimus investigaturi an ex illa quid pro nobis vendicare potissimus.

Thef. IV. Qui itaq; *Arabiâ* pro patriâ forsan non immeritò agnoscunt: quia, teste *J. B. Sylvatico tract. de lapid. Bezar part. 1. p. m. 75.* ab Arabibus, (uti inferius fusius dicemus) primum cognitus luci q; nunquam peritura, uti quidem voluit illustris Vir, *Manfredus Septalius l. c.* consecratus fuit: variè genuinum hoc vocabulum, juxta Arabum Barbarorum seductum potius, quam ductum interpretum exprimunt & communiter Bezoar docente *Villanovano de Dofib. Theriac,* & ex hoc *Schillero de peste Britannica sect. 2. cap. 7.* à *Bezaharth* appellitant. vid. *And. Baccius de gemm. natur. cap. 34.* s. juxta *Valescum à Bedzabar* (non quidem derivatione Grammatica sed Logica, quia id à quo aliquid denominatur est prius ipso denominativo) quod ab *Andrea Chiocco in Mus. Calceolar. sect. 3. Cesalpino & J. C. Scaligero vitam conserare dicitur.* Hinc omnia Antidota vitam conservantia & ad versus venena vim obtinentia patriâ lingvâ ab Arabibus *Bezahartica* nuncupata fuisse legimus.

Thef. V. Quidam deniq; ex fonte *Ebraico* deducere validissimis dimicant lacertis, & pleriq; omnes in hoc conveniunt, quod vox illa composita sit ex *Bel* sc. seu *Baal* uti monuit *Baccius & Zaar*: quorum illud *dominium* quidem s. *dominum* hoc verò *venenum*, exprimere dicitur. Vid. *Henr. Salmuth l. c. p. 259. Wittichius, Sylvaticus, Boetius, A. Baccius, Olaus Worm. Mus. cap. 19. p. m. 110. Zacut. Lusitanus de medic. Princ. Histor. l. 1. quest. 25. p. 71. & l. 5. bistor. 29. Job. Eusebius Nieremberg. bist. natur. l. 9. cap. 6. Conrad. Gesner. in animal. quadrup.*



drap. hist. de capra montan. Nicol. serm. 4. tract. 4. cap. 9. Philipp. Grü-  
ling. part. 3. p. 31. Hinc Oberndörffer cap. 1. de febr. malign. Hungaric.  
p. 23. in hæc verba erumpit, inquit: Dieser Stein behält in die-  
ser Krankheit für allen andern Giffte Arzneyen den Preiß und  
Ruhm/darumb er billich ab effectu Bezoar qs. Baal-zaar h. e. domi-  
nus veneni genennet wird. & cap. 9. p. 131.

Thef. VI. Quæ cum usitatissima omnium sit, ab illa non re-  
cedimus: quicquid etiam *Ant. Deusing. loc. p. 325.* de errore & hal-  
lucinatione dicat: sed obviis, quod apud Quintilianum est, ulnis  
in ejus complexum properamus. Mea Ergo sit hæc derivatio, quæ  
uti perspicua ita in scholis Medicorum usitatissima, non attende-  
do à quonam profecta sit, sed quid factum. Cum & aliàs saga-  
cissimi φύσεως interpretes Hebræi id laudis semper habeant, quod  
rebus nomina imponant ita, ut juxta πολυφύλλιτον illud rectè:

*Convenient rebus nomina sæpè suis.*

Plura qui de ετυμολογία habere satagit adeat *Casspar. Baubinum*  
*de lap. Bez. Ant. Deusing.* plures ejusmodi alios.

Thef. VII. Perspectâ Παρωνυμία ordo devolvitur ad *Homony-*  
*mian.* Cautè itaq; cum hîc dispiciendum sit, ne nostræ tractatio-  
nis cursum impediat terminus ἐν τῷ πολλαχῶς λεγομένων.  
Quî nunquam ad optatum veritatis portum eluctentur ii, nisi am-  
biguitatum præternavigârint Mœandros. Hos itaq; errores in  
præsentiarum evitaturi, notamus, *Bezoar dupliciter* considerari,  
*vel ἰσχυρῶς generaliter & improprie: Vel εἰδικῶς Specialiter & pro-*  
*prie.* Illo in sensu quibuscunq; medicamentis veneno resistentibus,  
uti ex *Serapione de Medic. Simplic.* liquet, competit. Et sic: Bezoar-  
tica vulgo dicuntur in genere. (1) φάρμακα, φρειακά, ἀπὸ τῶν φη-  
ρῶν, à feris, quia medicina dicitur adversus omnes bestias vene-  
natas, vid. *Buchner. in Lexic. Fabr. lit. Tb.* (2) Ἀλεξιήγεια ἀπὸ τῆς  
ἀλεξέω, quod arceo, depello, vel auxiliior denotat. Vid.  
*Henric. Smecius Miscellanear. Medic. cap. 27. p. 94.* qui juvare ea dicit,  
non quod venenis adversentur, sed quia his amica sunt. (3) Ἀντι-  
δοτα, quæ & multis teste *Sereno Mithridates* dicuntur. Germanis  
*Thiriack/Allerley Arzney wieder vergifft &c.* Hujus generis & (4)  
esse dicuntur φάρμακα πορφυλακτικά nobis *Præservativ.* cit.  
*Buchn. loc. dict.* Deniq; juxta *Carol. Clus. not. in aromatum Garzia hi-*  
*stor.*

*Ror.* & quidem *cap. 45. p. 251.* omnia venenis adversantia medica-  
menta: seu uti mavult *Andr. Baccius Libr. de gemm. cap. 34.* morbos  
malignos profligantia hoc nomine veniunt. Huc juvat adspere,  
quod non adeò rigorosè & strictè vocabulum Bezoarticum  
accipiendum sit, quasi tantùm ea intelligantur, cujus Basin con-  
stituat Bezoar: sed paulò laxius sumi debet, omniaq; ea includere,  
quæ quidem Bezaar non fovent, sed æqualibus ferè operantur vi-  
ribus. Sic in scholis Medicorum *Opiata* dicuntur non semper ea  
cujus compositio ex opio constat, sed, licet parum aptè, quæ ejus  
consistentiam repræsentant. Pariter de *Sinapismis* dicendum, qui  
etsi ea medicamenta Sinapi non ingrediatur, propter virtutè tamè  
ac vim quam habent incidendi sc. atq; aperiendi ita dicuntur. Ex  
*Schrædero* proin non uno in loco ejus usus patet luculenter: Sic  
v. g. Angelica Bezoardica & cordialis nobilissima dicitur. *Phar-  
mac. Medic. Chymic. l. 4. Class. 1. p. m. 16.* Huc spectant & verba Ficini,  
in *Epidem. antid. cap. 6.* ubi Hyacinthum, Smaragdum, Topaziũ,  
&c. Bezoar, h. e. mortis liberatores vocat. Quò facit & illud  
*Sanctorii Method. vitandor. errorum in administratione remedior. l. 13.  
cap. 4. p. 514. & 515.* Sic bolus Armenus, inter Bezoartica à *Galeno 9.  
simplic.* refertur: Et omnia ea totâ substantia venenis resistentia  
*Graynerius tradit. de venen. cap. 3.* ut semen citri &c. & inter com-  
posita Theriacam Galenus referunt. Cardiaca itidem quævis. vid.  
*Schröderus. Primerosius l. 4. cap. 36.* Nec prætereundi hîc loci Lapi-  
li gammarorum (quos improprie nostro hodierno loquendi mo-  
do, docente *Philipp. J. cob. Sachs in γαμμαρολόγ. cap. 5. cancrocrũ*  
vocant, quia his ipsis veris, rotundis cancris nostra caret Germa-  
nia. Lapilli etiam improprie dicuntur, ut multa piscium ossa ob  
affectionem lapideam. *Libavius l. 3.* Inepte etiam oculi vocantur.  
vid. *Helmont. de Lithiasi cap. 7. §. 31.* quia neq; extra eminent, nec  
toto perdurant anno, neq; deniq; oculorum munere funguntur:  
quod si verò ita dicantur, ob figuram eorum quam cum oculis  
habent id fieri asserit cit. *Sachs cap. 14.*) hos inquam, lapillos, quos  
*Bellon. in hist. aquatol.* carcinas vocat, ab aliis ob insignes virtutes  
contrayervam animaleam & Bezaar Septentrionalium appellatos  
fuisse legimus: Hinc nonnulli eò temeritatis progressi, ut, negle-  
ctò hoc lapide, oculos cancri C. C. &c. huic præferre, sed mi-  
nus

nus aptè tentēt. *Hercules Saxonia l. 8. præf. cap. 37. § l. 10. cap. 59.* Hoc vero, *specialiori sc. significatu*, iterum, teste *Serapione de med. simpl. ex mineral. cap. 396.* dupliciter accipi solet: Primo modo *particulariter*, *Snebergio in catalog. medic. Arduyno 1. de venen. 10.* testibus sumitur, pro medicinâ appropriatâ ad removendum nocumentum alicujus particularis s. determinati veneni: Hoc modô unicuique veneno particulari suum specificum est antidotum & Bezaar. Ejusmodi exempla non pauca ab Arabibus partim, aliisq; peti possunt: ut *Avicenna l. 4 fen. 6. tract. 1 Sum. 2. cap. 1. it. tract. 2. cap. 2. Guaynerio tract. de venen. cap. 9. &c.* Altero modo *in specie*, non quatenus est specificum contra hoc vel illud venenum Bezaar; sed, quatenus hoc nomen uni medicamento competit, quod contra omnia venena ex æquo valet, consideratur: Seu dilucidius, quod cadit super lapidem notum vid. vir in arte Medicâ valde peritus *Serapio l. c. & maximæ eruditionis vir Nic. Nicol. Florentinus. Marsilius, Ficinus in antid. Epid. cap. 24.* Tandem semper & ubiq; s. in genere, s. in specie vocabulum Bezaar consideretur, de Antidoto contra venena intelligi debet, cit. *Marsil. Ficin. &c.*

Thef. VIII. Nunc ad *Synonymiam*. Dicitur autem lapis hic Arabibus *Hager. Monard. l. 2. de Aromat. ex India advect. cap. 1. §. B. Sylvatic. part. 1. p. 75.* Verum enim verò, quia hoc vocabulum nihil particulare significat, pluribusq; æq; genericè competere videtur, rectius à Sylvatico *Hager Albezabar* dicitur, pariter ac Judæus lapis &c. Arabibus vocatur *Hager*, addito, *Aliendi* s. *aliheud.* *Schræder. Pharmac. Medic. Chym. l. 3. cap. 8. p. m. 352. Manfred. Septal. cap. 27. Hazar* ab Arabibus dictum putat: *Philipp. Baldeo vero in beschreibung der Indianischen Rusten Maldabar & Coromandel cap. 24.* dicitur *Hagiar Corrabone.* Nonnullis *Albezaar* audit *animalis.* vid. *Ægyptius* natione tamen *Hispanus* ille Medicus peritissimus vestigiis Galeni prorsus insistens *Raby Moyses.* Aliis *Bezaar animalis* ad differentiam mineralis. *Arduyn. l. 1. de ven. cap. 10.* Persis dicitur *Bozaar* s. juxta *Monardem de Lap. Bez. & herb. Scorzon. p. 8.* *Bezaar, Bezar* itidem ac corrupte magis ab Indis *Bazar. Cardan. 7. Subtil. Garzias ab Horto. cap. 45.* interprete *Carol. Clus p. 251.* quod aliqui, uti superius §. 3. dictum per forentem explicant Lapidem. *Bazar* enim eorum linguâ, imprimis apud Malabarenses forum deno-

denotat s. emporium. vid. *J. B. Sylvaticus. de lap. Bez. part. 2. quasi noster lapis teste Manfr. Septal. antonomasticè Emporeticus & Mercatorius dicatur. Andr. Baccius cap. 34. addens, quod si forum Indi ita vocent, à Turcis accepisse dicendum, Hebræis venit Belzaar, Babalzebar. Belzabart. Latinis Contravenenum. Veneni dominans P. Cass. Schott. Phys. Curios. l. 8. mirabilia animalium terrestriū comprehendens cap. 26. S. 7. p. m. 1002. Dominus veneni. Nardus Anton. Rebus l. 9. cap. 14. p. 325. Græcis Alexipharmacum. Quicquid etiam Subtilitatum Magister *Cardanus de venen. 2. cap. 14.* dicat, signa q; inepte sapientiæ prodat: in cuius arenam descendere nobis non licet. Hispanis docente *Monardo: Piedra contra veneno y desmayos*, h. e. lapis venena & animi deliquia curans. Germanis dicitur *Herr des Gifftes. Baldeus l. c. &c.* Quidquid tamen sit, nullam in re ipsa differentiam ex hac nominis diversitate suboriri certum est, cum unum eundemq; lapidem hoc nomine indigent: id propter juxta pervulgatum illud: voca ut lubet, modo rei nihil mutes. Cæterum de *Ὀνοματλογία* hæc dixisse sufficiant rectâ nunc, ac inoffensô pede ad Realem properans me accingo Definitionem.*

## CAPUT II.

### De Lapidis Bezoar definitione Reali.

#### Thesis I.

**F**Ractô itaq; nominis cortice, ejusq; evolutione ad umbilicum quod apud Horatium est & Martialem, perductâ. Restat ut & perscrutemur, quid in recessu habeat Rei nucleus. Quum autem sine hac in intimum rei centrum indagare vix ac ne vix quid liceat siquidè *Gorrao Finitionum Medicarum teste: ὁ εἰς τὴν λέξιν τῶν εἶναι δειλῶν*, h. e. *Definitio est oratio quæ ipsam rei declarat essentiam.* Hinc apud *Aristotelem poster. Analyticor. cap. 3. ὁ δεσµὸς τῆς ἴης σοίας γνώσεως* s. *definitio est id, quò essentia alicujus rei fit manifesta*: Ut itaq; de quidditate Lapidis Bezaaris in præsentiarum constet: age, à definitione bonis avibus initium capessemus.

Thes. II. Omisfis igitur verborum ambagibus, nostram palmam facere definitionem constituimus: non equidem ad regulas  
Logi-

Logieas exasciatam. Sed secundum ductum celeberrimi Hoffmanni, inquit : sufficit Medico naturam & quidditatem exposuisse. Erit autem hæc : *Lapis Bezoar est lapis, qui in variis animalium, præcipue caprarum Indicarum ac simiarum corporibus sæpius reperitur : Circa tenuissimam quandam paleam aut simile quid concrevens, veluti multis è cunicis caparum instar constans, columella aut glandis plerumq; , interdum aliam atq; aliam representans formam : Levis magnâ ex parte & ex viridi veluti nigricans : quo Medici utuntur ad curandos morbos.*

Thef. III. Cùm juxta illud Logicorum omnis definitio (perfecta) ex duobus conceptibus constet; meritò & nos hanc nostram definitionem more solito resolvere aggredimur in *Genus sc. & Differentiam* : Illius loco hîc stat *Lapis* id quod probo (1) è *Generis conditione*, quia lapis latior patet sua specie pluresq; dantur lapidum species, ut ita specie differat silex, tophus, pumex, cos, magnes & sic porro. vid. *Sperling. Exercit. Phys. l. 6. Exerc. 4. proposit. 2. p. m. 585.* (2) ex *lapidis definitione*, quæ teste eodem *Instit. Physic. l. 6. cap. 5. Explicat. ad præcept. 1. p. m. 941.* ab accidentibus, materia & efficiente desumitur. Omnia hæc requisita & nostro convenire dicimus. De his posterioribus paullo inferius agendum. Primum quod spectat, quis adeò demens, ut duritiam itidem & crassitiam licet absolutam, quæ saxo hac in specie competit, deneget. vid. *Olaus Wormius Museo cap. 19. p. m. 110.* Hæc omnia tamen uti rectè quidem monet citatus *Sperlingius loc. alleg.* intelligenda sunt, ut gradus admittant. Jam verò : cui competit definitio : (vera sc. & certa non falsa, fictitia aut dubia vid. *Searckloff Logic. l. 5. cap. 4. Loc. 6. p. m. 422.*) ei etiam competit & Definitum. Applicatione ad nostrum lapidem factâ, conclusio sponte sequetur.

Thef. IV. Hoc agens scrupulum nescio, quis mihi injicit dicendo : *Lapides vulgo definiri per mineralia ideò sic dicta, quia de terræ mineris (quod est vocabulum Arabicum & venas seu meatus subterraneos significare creditur. vid. B. Sperling. Inst. Physic. l. 6. cap. 4. Explicat. ad præcept. 1. p. m. 934. Henr. Kipping. Inst. Phys. l. 6. cap. 1. §. 1.) magnâ effodiuntur difficultate, nō sine majori in lucem protrahuntur periculo, ac dein solertissimâ tractantur industria. Jam verò lapis Bezaar non, in, cuniculisq; subterraneis inquisitus*

B

crui.

eruitur; sed uti ex definitione patet in variis animalium corporibus reperitur. Exinde sequi, ajunt, minus commode per lapidem definiri posse. De nihilo certè non est hæc, uti pervulgata, ita non contemnenda objectio. Verum enim verò, utut concedamus terram matricem ac nativum solum esse lapidum. vid. *Sperling. Inst. l. 5. cap. 7. Explicat. ad præcept. 10. p. m. 805.* nostræ tamen sententiæ nihil obstare arbitror, quia non minus in visceribus terræ, quàm extra eam ubiq; locorum provenire cernimus. Locum enim s. matricem quod concernit, *non tanti loci certitudo*, uti perpulchre loquitur citatus sæpè *Sperlingius loc. cit. non tanta necessitas est.* Ubi causa lapidis, ibi etiam effectus aderit facilè. Posse in terrâ fieri saxa, non negamus, an tantum semper in terrâ fiant & alibi nusquam s. facile s. difficulter fieri possint, id est de quo quaritur, id est, de quo Experientia reclamat. Brevitati ut litemus cum *Henrico Kippingio loc. cit. cap. 4. §. 4. & 5. 14.* distingvere juvat inter *fossiles lapides*, qui de terræ penetralibus eruuntur. Tales sunt *Magnes, Galactites, Ætites, Marmor, &c.* Et inter *vegetabiles* qui in corporibus animantium procreantur. Suntq; *Chelidonium, Alectorius, Bufonius, Bezoar, Uniones.* Nobiscum facere videtur *Fallopium tom. 1. tract. de met. §. possibil. cap. 7.* Genera lapidum quinque enarrans: ad quartum refert lapides in animalibus generatos. cætera ex dicto petenda. Scripta ejus exactius pensiculando reperio: lapidum quarti generis *duas iterum facere differentias, aliam eorum, qui toto genere, totaq; substantia, uti loquuntur Medicorû filii, respectu animalis præter naturam sunt.* Tales sunt lapides & vermes. *Aliam deniq; eorum in animalibus lapidum ponit differentiam, qui sunt, uti loquitur Fallopius secundum naturam, & semper in iis sunt.* Veluti lapides pretiosi & gemmei etiam: quo & re ferre videtur lapidem Bezoar: de quò tamen an nimirum secundum naturam vel præter naturam in dictis animalibus generetur, inferius agere apud animum constituimus. His itaq; dispositis vires in re sat manifesta exercere amplius æsino.

Thes. V. De genere hæc dixisse sufficiant. Differentiam quod concernit, consistit hæc in verbis sequentibus: qui in variis animalium &c. corporibus reperitur. Ubi statim cum *Metaphoricis* illis acceptionibus, ut sunt apud *Terentium Heautont. Act. 4. Scen. 6.*

v. 3.

v. 3. *ibid.* Act. 5. Scen. 1. v. 44. *Virgilium l. 4. Aeneid. v. 366. Ovidium l. 1. Tristium Eleg. 7. & analogicas* removemus in totum : Neq; minus differre diximus lapidem Bezoar ab iis qui de terræ cavernis eruuntur. Et, liceat *Gesnerus l. 1. de quadrup. in histor. cervi cap. 3. Andreas Bellunensis* dictus, cujus sententiam *L. de Bez. & herb. Scorzone*, interprete *Carol. Clusio, Nicolaus Monardus*, Hispanus natione, ex *Tiphasi* (ex recensione *Henrici à Bra l. 1. de Curaud. v. 2. p. 17. Tiphasi* dicto) Arabe recenset : quàm plurima de mineris proferant, ac metallis : dum hic *l. quem de lapidibus* (juxta alios, *gemmis*) conscripsit *Bezaarem metallicum* statuit, inquit : *sicuti rubinus, adamas, smaragdus, agatbes & hujusmodi alie gēma è mineris extrahuntur, ita Bezoarticus lapis eodem modo educitur.* Alii vero autoritate nituntur *Serapionis*, qui *tract. de simpl. ex mineralibus desumptis* hæc habet : *vena hujus lapidis* reperitur in *Syriâ, Indiâ & Orientalibus regionibus.* Ubi sanè, dicunt illi, ex toto sententiam in hodiernum usq; diem receptam excludit substituendo pro animali mineram ; quâ de re vid. *Anton. Deusing Fascicul. Dissertat. Selectar.* Ast verò *Arcadum* more laborant fere omnes : movent, quidem, sed nihil promovent. Scripta enim ejus exactius non quidem populari trutinâ, sed aurificis staterâ examinantes, rem aliter longè se habere persentiscimus. Dum enim ille in lapidum naturis perscrutandis solers adeò, de hoc verba facit ; certè eâ in parte, si *J. B. Sylvatico* pariterq; *Cassaro Bauhino de lapide Bezoar* differentibus fides tribuenda, non tantum Medicinam ex Metallicis mineris desumptam, sed & ea, quæ de lapidibus pariterq; lutis sumuntur subintelligit ; id quod & tractatus ipsius rubrica indicat abundè, quæ talis est : *incipit tractatus de medicinis, quæ sumuntur ex mineris, & ex lapidibus & ex lutis, & sunt XLIII. medicina.* Quid ? quod, magis probat : dum in eadem tractatus parte de quibusdam agit, quæ in numerum metallorum ne quidem veniunt. v. g. agit de *Hager Abbato* i. e. *margaritis.* *Hager Achtamach* s. lapide aquilæ & *Teri Armeni* s. luto Armeno. Ut denique temporis lucrandi ergo, nihil dicam de metaphoricâ illâ mineræ (prout à Medicis frequenter admodum usurpatur pro eausa : dum hujus aut illius morbi mineram in hac vel illâ parte residere ajunt) acceptione, sed simul cum errore.

*Andr. Bellunensis* speciem pro genere vendi tantis cupidum lectorem ex parte illius adicit: *Caspar Baubinum de lapid. Bez. Orient. & Occidental.* pluresve alios, ex parte hujus ad Physicographos, hos inter *B. Sperlingium Inst. Phys. l. 6. cap. 4. precept. 2. p. m. 933. it. Exercit. l. eod. Eademq; Exercit. propos. 2. p. m. 585. Henric. Kipping. l. 6. cap. 2. s. 1. p. m. 230. &c.* dimitto. Ad ultimum accedit, quod lanè jugum Gordium solvet: Interpretem Serapionis impingere potuisse facile. Multosq; in Arabica lingua hospites planè esse. Ipsum denique *Serapionem* nihil aliud quàm regionem & nativum solum indigitare voluisse, quis mente sanus non deprehendit. Quare concludendum erit: frustraneam imò flocci faciendam esse sententiã eorum qui lapidem Bezoar metallicum esse acriter defendunt. De loco *Serapionis*, quem metallorum Patroni impugnant, falsoque citant, valet illud Logicorum: *termini accipiendi sunt, non ut libet, sed ut usu licet, & mens auctoris requirit.*

### CAPUT III.

## De lapide Bezoar, in quo nam animalis is reperiatur.

**D**igrediamur jam à diverticulò in viam, dicendo: omnes uno ore assentire, nimirum, quod in animalis cujusdam corpore gignatur lapis Bezoar quodnam verò sit illud animal, auctores mirum quantum dissentiunt. Alii enim modernorum, teste *Anselmo Boetio de Boode* in *Persarum Pazan*, id est *hirco* generari contendunt. *l. 2. de lapid. cap. 192.* Quam & opinionem cum *Cesalpino de metall.* Ituentur *Christophorus Aosta* quiq; primo loco poni meretur *Garzias ab Horto* Proregis ille, docente sic *Deusingio*, *Indiæ Medicus*: Hic expressis verbis, interprete *Carol. Clusio Exoticorum l. 1. cap. 45. p. 216.* asserit: *Hirci* quoddam genus in *Persia Corasone* esse, rufum (cujus coloris animal se vidisse affirmat *Goæ*) alium atq; alium representans colorem, in cujus ventriculo, circum tenuissimam quandam paleam semper augescens, dictus fiat lapis. Nec abludit multum ab hac re *Petrus de Osma* in *Epistola de lapide Bezoar ad Nic. Monardem* scriptâ, *Indica simplicia* describens: lapidem Bezoar in ventriculo animalis hirci similis



similis arietis magnitudine, colore rufo uti cervi propemodum  
& acutissimi auditus à Persis Pasan appellati, inque variis Indiæ  
provinciis uti in promontorio Comorim & nonnullis Malaccæ  
locis, tum etiam in Persia & Coraso ne Insulisque quæ à vaccæ  
cognomen adeptæ sunt, inveniri dicitur. Similiter & *Linscottus in*  
*IV. parte India cap. 43. Rau Wolff. in suo Itinerario part. 1. cap. 6. Sarra-*  
*renus ex Garzia. Jordanus de peste tract. 3. cap. 9. Paraus l. 20. cap. 37.*  
Pluresve alii, quos videre licet apud *Manfredum Septalium Museo*  
*cap. 27.* His adjunge & *Philippum Baldaum*, cujus verba hæc:  
Auf dieser Insel (subintellige Zeylon) hat es eine grosse Anzahl  
Hörner/ bey welchen auch Bezoar Steine gefunden werden / wie-  
wohl gar nicht von den besten. vid. *autor in Beschreibung der Indi-*  
*anischen Küsten Malabar & Coromandel cap. 24. p. 162. & in Be-*  
*schreibung der Insel Zeylon cap. 45. p. 398.*

Thef. II. Verum enim verò licet concedamus lapides quos-  
dam aliquando in ejusmodi animantibus reperiri ( id quod casu  
inventum fuisse autores referunt: annonâ enim existente multos  
egregiæ magnitudinis hircos in subsidium ac levamen mortaliû  
mactatos; quò factò magnâ ex parte lapides in eorum ventriculis  
reptos fuisse memorant ) an verò verum Bezoar sit valde adhuc  
ambigere licet; quia tota caro, imprimis libidinis tempore, ubi  
foetet, non nutrimentum corpori sed detrimentum afferat. *Mæb.*  
*l. 4. part. 2. cap. 4. p. m. 485.* Quod si vero totum corpus, ceu Subje-  
ctum ut quod, nihil boni præstat mortalibus, quid de contentis in  
eorum corporibus generatis sperandum; Verendum enim, ne e-  
jusmodi hircosum odorem (quem à seminis commotione ejusque  
exhalatione provenire clamitât *Capivaccig l. de morb. virgin. ejusque*  
*aflecta Casp. à Reies quest. 38.*) concipiat & ipse lapis. Quàm per-  
niciosus verò, ne dicam extiosus sit mortalibus, pestis imprimis  
tempore, iste foetor caprinus verè realis, sanioribus dijudicandû  
relinquo; Si quid autem dicendum, sanè tutiorem, à sententiis  
*Alexandri Benedicti l. de peste cap. 6. Parai l. 22. de peste cap. 6. Dodo-*  
*nai. Jacob. Sylvij in comment. ad l. 2. Galeni de different. febr. cap. 7. A-*  
*verrois. &c. recedentes, eligimus & quidem sapius laudati C. à*  
*Reiens quest. 66.* ubi inquit: putrida ac corrupta naturæ inimica par-  
tibus principibus summè adversa esse. Hircum verò animal us-  
que

que adeò libidinosum esse, nemò haftenus negavit unquam; hinc maturè etiam nimia libidine exhaustus etiam ante sextum annum consenescere, vitaq; his brevis esse dicitur. vid. hac de re *Sperling. Zoolog. Physic part. Special l 3. ap. 13. quest. 3. & 5. Reies. quest. 77.*

#### CAPIT IV.

### De Bezoar Caprarum.

#### Thes. I.

**A**B hirco, qui est mas non castratus & species capri, Germanis etn ungeschnitter Bocf dicitur ad capram feminam quae peperit etne Ziegenobis vocatur, me converto (de differentia vocabulorum vid. *Sperling. l. c. p. m. 226.*) ubi tamen in antecessum hæc notanda diversitas quam faciunt inter capram & capream s. capram sylvestrem. De hujus verò, quæ de mihi sermo, naturam, nomine pariter atque forma cum non leve oriatur litigiū, paulò penitius in id, inquirere juvat. Dixi autem aliquos parentem hujus lapidis constituere vel capreolum & quidem Persicum vid. *Bodinus l. 2. Theatr. vel capram. Olaus Wormius Mus. cap. 19. p. 110. Moscardes in Mus. l. 3. cap. 41. & cap. 79.* Hoc verò vocabulū, ceu genus multas in se comprehendens species cōtroversiam adhuc in suspensio relinquit id propter aliam ratione expedienda. Sunt itaq; qui capram sylvestrem in medium proferunt, uti quidem *Lacuna in Dioscorid. cap. 1. Fragosus ex Gesnero de capra sylvestri, Garzias, Salmuth, Wittichius.* Quum verò & hæ ipsæ aliquot generum sint, & inter has etiam Rupicaprae s. Alpinae à Plinio sic dictæ, quod in Rhætorum Valesianorumq; montibus in summam altitudinem productis degant: iccirco non defuerunt qui & ipsis præmia tanta accepta detulerint. Qua in re autem minimè audiendus *Gesnerus*, maribus tantum, quos vulgò *Ibices*, nostri *Steinböcke*, vocant hos lapides tribuens; quippe quum utriusq; sexus communes habeat.

Thes. II. Usq; adeò ut nihil dicam de capra à regione dicta *Indica*, quæ de fusius tractant *Montuus, Amatus Centur. 3. Curat. 74. Raymundus Myndererus doctissimus* ille Reipublicæ Augustanae Physicus. *Andreas Chiocco Mus. Calceolari Sect. 3. p. 342. Bontius Animadvers. ad Garziam. Deusing. Primerosius de Erroribus.*

rib. vulgi l. 4. cap. 36. Henric. Kipping. l. 6. cap. 4. §. 18. Pluresvè alii.  
Ut inquam nil dicam de hac; sed ad illam me accingam opini-  
onem, ubi mixtu quædam species statuitur, cui nomen cervi ca-  
pra, à figura sc. parvi cervi & capreoli. Andr. Baccius de gem-  
mar. Natur. cap. 34. Monardes apud Aldrovandum l. 1. de quadru-  
ped. Bisulc. cap. 22. Casp. Schott. Phys. Curios. l. 8. cap. 26. §. 7. pag.  
1003. quibus, si libet, adde Casp. à Reies Elys. jucund. quest. camp.  
quest. 67. Nec omittam illam Cardani l. 17. de rerum varietate 97.  
certi generis capram, quæ nomine barbaro Bulgoldalf dici cõ-  
suevit; A quibus aliter statuunt longe Christoph. Acofta. Linschott9,  
qui modò capram, modò hircum, modò ovum, imò vervecem  
& quicquid unquam concipitur monstri, memorant: in quibus  
omnibus lapis, Bezaar coagulari quasi, juxta quosdam, dicitur.

Thef. III. Neq; hîc loci peplô silentij involvenda hæc est  
Joseph. Acofta sententia, majorem paulo & nominis & speciei  
faciens diversitatem: Quando jam Gvanicum s. Gvanochum cap.  
21. l. 1. Hist. Natur. & moral. Ind. vocitat istud animal; Nunc Ta-  
rucam s. Tbarugham l. 4. cap. 40.; Nunc Vicugnem. Grandiores his  
perhibentur esse Tarucæ, pedumq; celeritate maxime valere:  
colorem si spectas, ad ambustum quamproximè tendit. aures  
pendulæ & læves: Rarò hæc animantia gregatim incedere so-  
lent, sed singula inter præruptas, ut plurimum, petras vagantur:  
Manfr. Septal. Mus. cap. 27 pag. 72. Nunc, inquam Pachos s.  
Pacos memorat; ovibus hi paulo majores, minores tamen juvẽ-  
cis instar camelorum collo oblongo, altis cruribus & corpore  
benè compacto coloris varii modo nigricantis, modo candi-  
dioris aut alterius nescio cujus coloris conspiciuntur & à Joanne  
Laëz in descript. India Occident. l. 10. cap. 4. Moromori appellantur.  
vid. Septalins loc. allegato.

Thef. IV. De Gvanachis s. Huanavis hîc agens, non alie-  
num erit & illud Septalii adspergere: dum in summis montium  
collibus mares pro femellis excubias qs agere dicit, adeò, usq;  
dum ad satietatem pastæ abierint. Addit præterea, tantam i-  
psis curam esse, ut, è longinquo homines adventare conspici-  
entes hinnitu quasi, equorum more, femellas de fugâ moneât:  
propius accedentibus hominibus ipsas fœmellas fugiendo an-  
tè se

tè se agere testis efficacissimus. Ex quò factò, si vera adhuc est fama, nonnulli rationem certò brutis attribuere satagunt, quã de equidem uberius dicendi amplissimus hic campus mihi sese aperit; sed in illum excurrere, in præsentiarum mei non est instituti: sufficit nos scire bruta omni carere ratione; quod si verò operationes quædam eorum rectæ rationi convenire videantur, ratio tamen non est, sed saltem videtur, magnaq; sapientia brutorum pars à notitiis naturalibus ortum, trahit; qua de re fusius, si placet, legatur. *Sperling Zoolog. Physic. cap. 2. Axiom. 7. p. m. 14.* Huic adde *Disput. Physic. de Ratione brutorum M. B. E. Herrings: Anno 1665.* hic loci habitam.

Thef. V. Mentionem verò paulò superius de *Vicinis* injiciens, meum esse putavi, naturam horum animalium paucissimis exprimere. Sunt autem hæc docente sic *Joh. Eusebio Nieremberg. hist. naturæ l. 9. cap. 59.* velocissimò admodum cursu insanæ simili procellæ, uti loquitur *l. Ann. Senec. Hippolyt. v. 733.* quò per summa per ima properare dicuntur. Numerum caprarum, propter similitudinem, quam cum ipsis ratione cornuum ex mente *Aristotelis*, pariter *Plinii* atq; *Olai Wormii* fovent, ingrediuntur. Verum enim vero modernorum scripta exactius ponderantes, realiter longè se habere percipimus. Cùm ejusmodi animalia apertâ fronte in montibus vallibus ac convallibus, quid quòd in altum ductis rupibus circumvagando de rupe in alteram, ob naturæ mobilitatem, juxtimq;ve velocitatem saltantes conspiciantur, adeò ut & *meteoro* cuidam in *Physicis ignita*, uti ex *Sperlingio l. 3. Zoolog. Physic. cap. 13. quest. 6. § l. 5. Inst. Phys. cap. 9. præc. 11. p. m. 792. § p. 806. it. Exerc. Phys. l. 5. Ex. 7. propos. 2 p. m. 541.* patet, quò spectat & *Henr. Kipping. l. 5. cap. 7. § 18. p. m. 198.* In Medicinâ vero *pulsui inequali*, qui vocatur *Caprizans*, Græcis *δοξαδίζον* & *δοξαδίζον* nomina dederint. Quâ de inter alios, quos lubens hîc prætereo, vid. *Mæbius Inst. Med. l. 3. part. 1. Sect. 4. cap. 27.* Ad institutum cœterum pergens, tutius erit dicere ignotas priscis plane fuisse *Vicinas* à *Rechio Bicuinas* dictas, quia cornutum, excorne (loquor cum *Nard. Anton. Recho l. IX. cap. 14. pag. 325.*) istud animal vocarunt. Neq; hoc ignorantia eos arguit, cum juxta illud *Ovidii l. 6. Metamorphos. fab. 1. v. 28. § 29.*

Non

Non omnia grandior ætas

Quæ fugiamus habet. Seris venit usus ab annis.

Hinc *Comicus ille in Adelph. Act. 5. Scen. 4.*

Nunquam ita quisquam benè subductâ ratione ad vitam fuit

Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi

Aliquid moneat, ut illa, quæ Te scire credas nescias

Et quæ Tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.

Quæ cum ita sint, uti etiâ experientia testatur cottidiana, quod  
ætate prudentiores reddamur, quis cum Homero exclamare  
erubesceret:

Εγὼ δ' ἔτι πῶς ἤν.

Νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας εἰμί, καὶ ἄλλων μῦθον ἀκδων.

Πωθάνομαι, καὶ δὴ μοι αἰξέλαι ἐνδοτι θυμὸς

h. e. eram adhuc puer: ast ubi jam grandior, & reddit me alio-  
rum oratio doctum. Ipseq; grandescit mi animus. Hæc omnia  
si non excusant, locum hic inveniet distinctio, quâ autores O-  
rientem dispescunt ab Occidente: verum equidem, animal in  
Occidente hunc lapidem ferens ex corne esse, minus verè de O-  
rientali prædicant. Vid. *Andr. Chiocco, in Museo Calceolari.*  
*Anselm. Boëtius de Boodt l. de lapid. ac gemmar. histor. 2. cap. 192.*  
p. 182.

#### CAPUT V.

### De lapide antiquorum in Canthis oculorum.

#### Cervi.

##### Thesis I.

**R**elictis hisce ad antiquissimam ferè, sed veri alienam me  
converto opinionem, quæ pro certò habet lapidem Bezoar  
ex canthis oculorum cervi, ejusq; valde annosi depromi, & quidè  
ex lacrumis ipsius condensatis. Patronos hujus rei habeas se-  
quentes, ut sunt. *Plinius, Histor. Natur. Evax. Libr. de lapid.* A-  
venzoar in suo *Theisir.* *Joh. Agricola l. 2. ex dicto Abinseare.* *Albertus*  
*Magnus.* hos *εξ ὀφθαλμῶν*, quod dicitur, sequuntur *Amatus Lu-*  
*sitanus Enarrat ad Dioscorid. l. 2. Sect. 39. & Centur. 3. Curâ 74. Scali-*  
*ger. Exercitat. 112. Joh. Langius l. 2. Epist. 24. Schenckius l. 7. Observ.*  
*Rulandus de lue Ungarica cap. 7. hist. 10. Antonius Mizaldus Cent. 1.*

C

memo-

*memorabiliū dist. 70. Henricus à Brà l. de Curand. venen. cap. 2. pag. 18. Heurnius de febr. cap. 19. Adamus Lonicerus sui herbarii Germanici cap. ultimo figurum simul apposuit, quâ cervi serpentes eliciendo aquis innatant ac lachrymantur. Cum Regino deniq; Theomnesto l. 1. Artis veterinar. plurimisq; aliis nominatim appellandi veniunt & Aldrovandus, Abgelo, Abbatio & qui omnes ferè in unum quasi coëgit Caspar à Reies Elys. jucund. quest. camp. question. 67.*

Thef. II. Præmissis hisce, è re quoq; erit, quicquam de modo adspargere. Communissima autem omnium hæc est sententia: cervos cum serpentibus naturale quoddam odiū, singulari remq; fovere *αἰτιπράθειαν*, adeò, ut mirificò naturæ instinctu sciant (aut, si mavis suboleant) quibus in cavernis latitent serpentes. Hisce incumbere dicuntur, vehementissimè suspirantes, hoc narium spiritu invitos etiam ac renitentes extrahunt: extractos pedibus contereere aut in multa frustra lacerando eos omninò devorare perhibentur. vid. *Plutarchus de animal. comparation. Plinius, Avenzoar, Sperling, Zoologia Phys. l. 3. cap. 12. quest. 4. p. m. 218.* Quò factò maximà infestatur siti cervus ad cuius levamen aquas petat stagnantes, quibus immergit se collotenus: ita tamen à natura doctus atq; educatus, ne exiguam aquæ portunculam hauriret, mortuus alias procideret: id propter in mediis fluctibus velut Tantalus perficit sitim dolerans usq; dum se fregerit illius æstus. *Franzius Histor. animal. Tract. 1. cap. 15. n. 12. p. m. 161.* Inter hæc verò ad ejus oculos humor quidam lentus destillare creditur, qui in canthis oculorum crassescens paulò cogitur atq; coagulatur, & ad glandis vel castaneæ magnitudinè excrescit. Quem postquam ex  $\nabla$ . egressus, in latebras divertens, & ut obstaculum oculis deciduum faciat, caput arboribus affricat simili ratione, ac si cornua quotannis, ne oneri sint eiceret. Quem homines venatores quærunt anxie magniq; faciunt vocando lapidem Bezaar. Fusius legantur *Moscades Mus. l. 3. cap. 79. p. 242. Primeros. de vulg. erroribus l. 4. cap. 36. pluresve alii.*

Thef. III. Multiplicem homini cervum præstare usum, nemò eqvidem hætenus ivit inficias, cum longâ rerum Magi-  
strâ

strâ constet experientiâ, nullas non partes in usum venire Mē-  
 dicum, quæq; ab ignotis pro nihilo haberi consuevere, stupen-  
 dum tamen mortalibus præstare commodum. Quis enim ho-  
 spes adeò in Medicina virtutem ossis in corde cervi reperti igno-  
 rat? Quamvis de existentiâ adhuc inter autores litigium sit non  
 adeò contemnendum, cum *Vesalius l. 1. de fabric. 20 Brasavolus*  
*in Exam. simplic. Rondeletius in aurea Alexandri* aliique plures  
 negativas teneant partes. Sed verò Arcadum hi more labo-  
 rant. Caterùm hoc qui in dubium vocare satagit, ipsum, quæso,  
 adeat Medicorum facilè principem *Galenum l. 6. de U. P. 19.* in  
 grandioribus animalibus venarum arteriarumq; radices ossuo-  
 las esse affirmantem. vid. *Zacut. Lusitanus de Princip. Medicor.*  
*histor. l. 1. Observat. 36. pag. 73.* Quis proinde nescit ornamenta ar-  
 mamentaque cervorum cornua (sive cum *Plinio l. 8. cap. 32. ex*  
*Aristotele 9. histor. animal. 5. Plutarcho de Pythia oracul. & l. 7. ser-*  
*mon. convivialium cap. 2.* à cervis hæc defossa qs. ac occultata di-  
 cas, parùm refert) ad Alexipharmaca asservari? Quid? quod si  
 fides habenda, eorum extrema non tantum haustò quovis toxi-  
 co adversari, sed & præsentissimum remedium in morbo Sonti-  
 cò (quod valdè noceat corpusq; offendat) sic dictò esse perhiben-  
 tur. Ut taceam usum sat frequentem in fluxu alvi, lumbricis, tibi-  
 arum ulceribus & ejusmodi incommoditatibus aliis, quâ de re  
 pleni sunt omnes Libri Practici, plenæ Medicorum voces, ple-  
 na exemplorum vetustas.

## CAPUT VI.

### Infirmitas vetustorum opinio.

#### Thef. I.

**A** St verò hæc & ejusmodi ἀλλότεια planè proscribentes ad  
 institutum pergimus, examinando hancce, de Bezoar ex  
 oculorum canthis cervorum, sententiam. Diximus autem pau-  
 lo superius: quamplurima equidem è cervis placere, hoc ipsum  
 tamen nobis ne quidem *Hippocrates*, vir divinâ sententiâ, quem  
 admodum ipsum *Aulus Gellius l. 19. cap. 2.* salutat; aut Medicorū  
 quisquam persvadebit: *Amicus Plato, Amicus Aristoteles & c. ma-*  
*gis amica veritas:* Hinc rectissime *Spenglerus Exercitat. Ethic. 10.*

quest. 2. Veritatis gratia ratio autoritati est preferenda, quia hæc nõ  
à subjecto, sed objecto pendet ubiq; Cum tanioribus iccicò  
dicimus, opinionem hanc falsitatis argui, quia prædicti autores  
cumq; his plures alii, quos in unum quasi compactos habet D.  
Caspar Bravo de Sobremonte Ramirez Disputat. Apologet pro Do-  
gmat. Medicin. præstant sect. 1. Resolut. 1. cap. 2. p m 170. in generati-  
onis modo equidem conveniunt plerumq; omnes; de causa ve-  
rò cur in flumina descendat cervus, non idem sit omnium judi-  
cium. Alii enim in venenum serpentum ingestum causam  
transtulerunt. Alii verò quod risum ferè meretur, senii repa-  
randi ergò fieri contendunt. Hanc vero nullius pretii meritò  
cum Matthiolo cæterisque rejicimus. Quare etenim senectute  
tem appeterent cum alias longævi satis sint: Ex Hesiodo enim  
meminit Oppianus cervum vivere χρόνον τετραπόριον s. quatuor  
cornicis ætates. Jam verò referente eodem Hesiodo: cornix

Ενία τὸ ζῷον ἡλικίας τετραπόριον

h. e. Ter tria secula virum transmittit garrula cornix. His quanta  
fides sit adscribenda exinde patet, quod cervi torquibus aureis  
ornati post aliquot retrò secula capti fuerint aliquando, ubi  
certæ literæ impressæ annum indigitârunt: Has & ejusmodi ex-  
ponunt. Ex Plinio l. 8. cap. 32. Joh. Freinshemius in supplement. Q.  
Curtii l. 1. cap. 3. n. 4. Juvenalis Satyr. 14. Guagvinus l 9 Simon Ma-  
julus Colloqu. 7. Gaspar Schott. Physic Curios. l. 8. cap. 23. & alii, quos  
sicco pede & clausis, ut ajunt, oculis prætereo, cervos longævos  
esse asserentes.

Thef. II. Accedit quod Galenus Medicorum, exceptò Hip-  
pocrate, maximus hoc ipsum impossibile & contra naturæ ordi-  
nem rejuvenescentiam fieri judicet l. de Marcore cap. 2. & 4. Quic-  
quid etiam Caspar à Reies in Elys. jucund. quest. camp. quest. 26.  
plurimâ autoritate munitus de naturæ maximâ vi, quæ in absco-  
dito sinu hæc & ejusmodi, volente sic Deo, reservare creditur  
(quam & in possibilibus nunquam negamus) jactitabundus pro-  
ferat. Animæ enim instrumenta sunt spiritus, qui à tribus visce-  
ribus generantur à Corde sc. à Cerebro ac deniq; ab hepate.  
Hæc vero ut reliqua miris variisq; modis vitiantur. Ac si sapi-  
us hac ratione Facultates animæ malè afficiuntur, aut earũ per  
CON.



consensum tam mutuum ac tam occultum & prorsus spiri-  
talem, tandem eæ ita aliquando deficiunt, ut universa lú-  
cis subsequatur, quam voces mortem, | licebit. Huc &  
spectare potest Aphor. 41. Sect. 2. qui sæpe & vehementer sine  
causâ manifesta animo linqvuntur: ii derepente moriuntur. Cæ-  
terum *de vitâ hominis ultra C. XX. annos protrahenda* librum Ve-  
netiis Anno M D LIII. condidit *Thomas Philologus Ravennas*,  
*Franciscus Baco de Verulamio*. ac de ea quoq; ulterius multò protra-  
hendâ *Renates des Cartes* voluit scribere, morte præventus.

#### CAPUT VII.

De causa, quare cervi aquas intrent, quæritur:  
quæq; rejicitur.

##### Thes. I.

**M**issis hisce, tribus tantum *Theonesti* pariter ac *Philippi Bal-*  
*dei* sententias attingere animo sedet, quorum ille quidem  
*l. 1. artis Veterinar.* hanc subjicit causam: quia vermes, quos in  
omnibus corporis partibus generari constat, in intestinorum  
gyris implicitos enecare creduntur serpentes. Hic vero *cap.*  
*24. in beschreibung der Indianischen Küsten Maldabar & Coroman-*  
*del pag. 161.* non serpentis devorare ait cervos, sed ex intolera-  
bili vermium dolore ac cruciatu aquas intrare, usq; dum se fre-  
gerit æstus ille quadantenus. Hæc & ejusmodi alicujus ponde-  
ris esse videntur, quia venenum serpentum insipidum esse cum  
quadam ponticitate luculenter exponit. *C. à Reies quest 64. p. m.*  
*851. quicquid m. Latinus aliàs Hippocrates* sub Cæsare degēs *Corne-*  
*lius ille Celsus* (uti eum quidem appellitat *Nobilissimus Dn9. Pra-*  
*ses Lectionibus publicis de Convulsione cap. 1. §. 2*) de dulcedine di-  
cat Et medicamenta quæ vermes enecant alia amaritudine, a-  
crimoniâ, falsedine ac deniq; aciditate, alia etiam peculiari  
proprietas id præstant. Id propter tolerari possit facile. Ve-  
rum naturæ hoc repugnare ac rectæ rationi tã certum est quàm  
quod certissimum: quia *venenum* quodcunq; *Facultati Naturali*  
*Conservatrici inimicum* & tanquam summè deleterium, quantū-  
vis in parva quantitate sumptum (quò ipsò statim excludimus  
venenum improprie sic dictum. *vid. C. à Reies quest. 63. n. 9. p. m.*

820.) multum damni affert, vitamque acerbo agone oppugnare  
conspicitur. Quâ ratione itaque salutem promittat: verendum  
certe me in Scyllam prolabatur, evitaturus Charybdim. Huic ex  
asse consentit *B. Sperling. Zoolog. Phys. l. 2. cap. 12. quest. 4. p. m. 219.*  
reprobando, hanc rem non nisi libris visam autores memorare  
ait. Hinc paulo post: *extractio ista à nemine hæctenus observata  
est. Neque extractionis ratio explicari potest.* Adde sis Petr. Lau-  
remberg. &c.

#### CAPUT VIII.

### Modum concretionis vulgò exponit: qui & reprobatur.

#### Thes. I.

**M**odus jam jam concretionis, aut si mavis congelationis ex-  
ponendus mihi venit. Quo de etsi autores convenire di-  
xerim, eum tamen extemplo haud feci meum; sed adhuc reliqui  
in suspensio: quid? quod si tot præstantissimis Philosophis &  
Medicis disidentibus, quos tamen suo quemque sensu abundare  
hic permitto, si, inquam, aliquid dicendum, existimo, omni-  
nò hanc rem diligenter trutinàs pariter atque perpendens, veri-  
simile non esse quod frigus ambiens humorem lentum & unctu-  
osum constringendo adeò in lapideam substantiam excoquere  
possit: quia frigus vix misellum est accidens, hinc, ne quidem  
mille Accidentia, juxta tritum illud, pro una sufficiunt substan-  
tiâ. Temporis lucrandi ergo *Benev. Lect.* adeat citatum sa-  
pius *Sperlingium in Institutionibus ac Exercitationibus* utrinque  
*suis Physicis. Kippingium*: Quibus vel leviter perspectis le-  
ctor studiosus æquus veritati consulat quàm optimè: Nos in-  
terim ut brevitati litemus, dicimus valde eos errare ejusmodi  
generationem statuentes. Lapis enim fieret aut in momento,  
aut successivè; non illo modo, quia ex mente tam *Laurem-*  
*bergii* quàm aliorum in aquam propulsus ille humor, velut  
undâ ab undâ, procideret; neque successivè; id quod ex di-  
ctis patet, quia vis illa naturalis expultrix, ab officio ita dicta, in  
tantâ copiâ, tantâque cum vehementiâ humorem ejusmodi se-  
rosum,

rosuū, aqueū imo sanguineum emanare facit, usq; adeo, ut si-  
dem huic rei, vel etiam hospes in Physicis, derogare posset: Er-  
go igitur necesse habemus merito, vel cum *Matthiolo comment.*  
*in l. 5. Dioscorid. cap. 173.* has improprie quidem dictas lachrymas,  
vid. *Sperling. Zoolog. Physic. Proem. cap. 2. Axiomat. 3.* pro fabula  
venditare: vel cum *Anselm. Boetio de lapid. & Gemm. l. 2. cap. 192.*  
ridiculè eas explodere, vid. *Ant. Deusing. Fasc. Dissert. selectar. p.*  
*330.* vel deniq; ad credendum aut ulterius inquirendum eas of-  
ferre, id quod & fecisse legimus *Gaspar. Schottum Physic. Curios.*  
*lib. 8. cap. 23. pag 987.* qui hac de re fusius consulendus. Quidquid  
etiam objiciant nobis de *Spir. lapidifico*; usum n. hujus spontè  
cessare indigitat hic formalis ratio spir. istius architectonici: di-  
citur n. omne corpus quod intrat in momento sibi simile red-  
dere: id quod tamen hic fieri videmus neutiquam; sed tantum  
humorem illum ex canthis oculorum emanantem, (ac si ratione  
præditus esset,) in naturam sui convertit, relicto illo per poros  
cutis egrediente, qui tamen eandem cum lachrymis materiam  
obtinet: ut propterea *Aristoteles sect. 5. problem. 35.* lachrymas su-  
dorem quendam appellaverit. Illas autem ex sanguine attenua-  
tò & liquefactò, uti quidem *Empedocles* somniavit (quâ de re  
*Galenus Libr. de histor. Philosopho*) fieri minimè; sed esse excre-  
mentū M.S. (quicquid m. in contrarium afferrat *Henr. Kipping.*  
*Inst. Phys. l. 9. cap. 13. p. m. 439.* excrementū cerebri aqueū esse, deli-  
rans) & quidē tenuè hodiè tam clarum quàm quod clarissimū:  
Alias certe, sæpius rubro colore in factas cōspicerem⁹ lachry-  
mas, neq;ve minus sudorem quibus de vid. *C. à Reies quest. 86.*  
Has & ejusmodi haberem⁹ adhuc plures alias, quas tamen con-  
fictui reservamus. Sufficiant interim hæc.

#### CAPUT IX.

### De Bezoar in eqvis.

#### Thes. I.

**D**iscussâ hac difficili & firmiter in animis hominum radicatâ  
controversiâ ad alia forsitan hilariori propero gradu. Sed  
vero, in plurimis animalium speciebus lapides generari, dixi:  
quas species singulatim enumerat q̄s *Franciscus Hernandezus in*  
*MSS. suis apud Nierembergium l. 9. hist. nat. cap. 60.* Eo de stitu-  
tus

tus adeat *Caspar: Schottum l. c. cap. 26. §. 7. pag. 1004. &c.* In specie verò de lapide Bezoar in equis excidi facto, qui & Bezoar vicarium appellatur quædam habent *Jordanus de pestis Phenomenis tract. 3. cap. 9. Crato. Caspar Bauhinus &c.* Frustra itaq; experientia obloquitur *Peripateticus* ille, ἀπὸ τῆς περιπατεῖν ab ambulando ita dictus, dum *Problem. 42. sect. 20.* asserit: nullum animal calculosum fieri præter hominem: cum experientia cotidiana testetur contrarium: neq; exempla sunt adeò rara, audiendi sunt *Rhasis* ille à *Clusio* verè Galeni simia dictus, qui teste *Pancirolo l. 2. rer. memor. recens invent. ex Italico fonte in Latium tradit: ab Henr. Salmuth. tit. 3. p. m. 258.* vixit tempore Regis Mauritanie magni *Almansoris. &c. Plinius, Agricola, Scaligerus,* & qui omnes in unum qs. coëgit *Philippus Sachs. Γαμμαλογ.* ad quorū scripta cupidum lectorem omitto. Labet itaq; colophonis qs. loco adspargere & illorum opinionem, qui Bezoar in homine generari posse fortiter credunt.

CAPUT X.

Agit de Bezoar in homine genito.

Thes. I.

**H**Oc agens, in antecessum hinc moneo, sermonem mihi nõ Hesse de lapidibus in quibuscunq; etiam corporis humani partibus generabilibus pariter atq; generatis, quibus de præclare admodum agit *Magnificus D. D. Schneider Scholæ Medicæ lamé incomparabile l. 3. de catarrh. cap. 7. &c.* Sed in specie de lapide Bezoar in homine generato: Hæc verò sententia cum difficultatis sit plena pro ingenii modulo constitui *ἡλικῶς* primò, mox, quod meum erit *δευτικῶς* procedere. De grege itaq; illorum imprimis sunt *Nicolaus Tulpius l. 3. Obs. Medicinal. cap. 4. Horstius in Epistol. Medicin. sect. 9. de generat calcul.* & qui de utilitate eorum ocularem se exhibet testem *Johan. Bontius,* is ipse *cap 46. de Medicin. Indor.* affirmare ausus est: calculos humanos ad sudorem & urinam ciendam melius ac excellentius conducere, quàm Orientales. Verum enim verò exactius rem inspicientes nihil præter colorem in Bezoarticis illis, sic dictis, lapidibus in hominibus repertis, videre licuit, quo cum legitimis conveniant, aut à vulgaribus discrepent: Si quidem color ex porraceæ aut ærugi-

ruginosæ alicujus bilis excrementitiæ commixtione resultare potuit. Vim proin illam quam his adscribunt Bezaardicam eos non habere, vel exinde patet, quod efficaciam hanc cæ genuinis lapidibus autores tribuant vel cœli benignitati, vel herbis, quibus nostræ carent regiones. vid. *J. B. Sylvaticus, Casp. Bauhinus. &c.* Huic itaq; quid fidei habendum, quivis, etiam ignarus, judicet. Accedit deniq;ve, quod, si eorum vera sit sententia, incassum ac temerè laborarent in terras aliò calentes sole, non sine periculò permutantes, tamq; carò pretiò ex remotissimis Asiæ secibus lapidem Bezaar convehentes; Cùm non tantum in monstrorum brutorum corporibus eum habeamus; sed & intra nosmetipsos polydædala rerum parens Natura talem producat. Ast fucus! ast fabulæ! Multa dicuntur quæ non sunt.

Thef. II. Ut igitur nil dicam de lapide Bezaar in Phasianis (à Phasi Colchidos fluvio ita dictis, vel quòd ibi in magnâ copia alantur. vid. *Mæbius Inst. Medic. l. 4. Part. 2. cap. 5.* vel quod ab Archonautis apud Colchos primum visæ & exinde in Græciam, quibus populis insvetæ planè atq; ignotæ erant, mox in nostras regiones ad vectæ fuerint: vid. *Natalis Comis Mytholog. l. 6. cap. 8. pag. m. 589.*) repertò, de quo mentionem facit *Philipp. Baldæus in Beschreibung der Indianischen Küsten Maldabar & Comandel cap. 16. pag. 97.* & quidem in margine, cujus verba accipe: Man findet die Bezoar Steine in den Bavianen, und werden nach dem Stück verkauft/ usq; adeò, inquam, ut nihil amplius memorando dicam de his & ejusmodi aliis; Sed ad definitionè longinqvò rectà me accingam, visitaturus quid amplius enucleandum restet. Dixi autem in illa lapidem Bezoar præcipuè in caprarum Indicarum ac *Simiarum* sæpius reperiri corporibus: Hæc sententia cùm admodum sit rara nec antiqva adeò, Nostrum fore duximus in hac ipsa vires quodammodo exercere, quidve huic tribuendum exponere.

Thef. III. Antea verò quàm verbum proferam, ne quis antiqvitatis amans objeiat mihi illud pervulgatum: *omnis novitas odiosa* contraq; ea τὸ πρὸς ὑμᾶς τιμιατόν: cursum, inquam, ne quis hóc sufflaminare queat, ad ea respondeam & quidem brevibus prius, dicendo: illud dictum non ἀπλῶς de

D

nu.

audā antiquitatē intelligendū esse; sed  $\chi\tau\iota$  de tali vetustate, quæ rationem evidentem habet conjunctam. Hinc ob novitatem res non debet rejici. Proin cum Georg. Meiero in *Fundam. Philosoph. Gnostologiae*  $\omega\theta\eta\epsilon\omega\mu$ . Sect. 3.  $\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\kappa\tau\iota\kappa$ . problem. 1. p. m. 28. distingvendum censeo: inter res ipsas, & rei dispositionem. Non illæ sunt novæ, sed hæc saltem, quatenus res hæctenus hinc inde dispersæ, confusè & mutilatè propositæ, nunc ordinate ac distinctæ pertractantur.

## CAPUT XI.

### De Bezoar simiarum.

#### Thes. I.

**P**Ræmissis hisce præmittendis ère erit in scenam producere sententiæ hujus propugnatores. Erunt autem præter Johannem Eusebium Nierembergium. Joh. Bontium ac deniq; Philippum Baldeum ferè nulli: si qui alii adsunt non autores; sed relatores tantum habendi, ut adeò numerum non frequentem, sed, juxta illud tritum habeamus perfectum. Quorum ille quidem l. 9. *histor. natural. cap. 61.* hæc habet: *Nec prætereundum censeo industriam aliquorum venatorum Orientalium, qui mirò artificio ex simiis conficiunt lapides, quos pro Bezar venditant. Prodeunt certò anni tempore ad simiorum venationem non ut occidant, sed ut vulnerent sagittis subtili emisiss arte, quæ non penetrent, sed tantum cruentent simios, quos deinceps non insectantur. Ex cruore interim petrea glans fit intra corpora simiorum. Singuli tot lapides generant, quot plagas sustinuerunt. Cum jam norunt venatores maturos lapides, iterum prodeunt ad capiendos illos, occisis simiis. Hæctenus autor. Iste verò in animadversionibus ad Garziam talia dicta profert: vidi & lapides Pazahar natos in ventriculis simiorum, qui teretes sunt & longitudinem digiti aliquando excedunt, qui hic præstantissimi omnium censentur. Quâ de re Anton. Deusing. l. c. Hic deniq; ex capite simiarum desumi eos judicat. l. c. cap. 24. Cæterum eandem modulantur cantilenā Gaspar Schott. locò superius dictò l. 8. cap. 26. §. 7. p. m. 1005. Caspar à Reies quest. 67. n. 37. qui & citat Petrum Texeram. Pluresve alii, cuncta ex superioribus mutuantes,*

CAPUT

Ratio per exempla datur, quod lapides Bezoar  
in cruentatis simiis coagulari pos-  
sint.

Thef. I.

NEque hoc absolum adeò dictum puto, dum glandem pe-  
tream ex cruore factam asserunt: Quippe quum cum rati-  
one experientia calculum ipsis addat albū; & non tm. in pleris-  
que corporis partibus internis lapides generatos viderint auto-  
res; sed & in externis, si tubercula & abscessus foras extumescētes  
cum Hippocrate sic appellare fas est, repertos contigisse ferūt.  
Neq; hīc ad præstigia statim diabolica & incantationes recur-  
rendum (quamvis hæ non ubiq; excludendæ veniant) de quibus  
tamen nobis non est sermo; sed in terminis naturæ subsistendū:  
sicubi prostant causæ naturales, cessent itaq; supra ac præter-  
naturales necesse est. Lapidem autem verè ac naturaliter (h.e.  
ex causis naturalibus) in homine generari, tam certum hodie,  
quàm quod certissimum, id quod & quam plurimæ evincunt ra-  
tiones, posita enim causa ponatur etiam effectus. Et licet hoc  
contingat rarer, tamen sufficiat contigisse aliquando: Sic in  
tumore humeri lapides observavit *Borellus Cent. 1. Observ. 87.* neq;  
minus à femoris notabili tumore dissecto lapidem album, ovi gal-  
linacei magnitudine proximum, extractum annotavit *Marcel-  
lus Tulpus*, qua de re consulatur aureum illud scriptum, *Virè  
maximè de Medicinâ meriti Dn. D. Schneideri, Præsidis atq; Docto-  
ris nostri non intermorituro cultu venerandi quod de Catarrhis con-  
didit olim l. 3. cap. 7.* Hinc modo citatus *Tulpus Observat. l. 4.  
cap. 21.* tumores duros exercitatissimos alias fatigare nonnun-  
quam chirurgos proclamat, quia loco puris aut alterius humo-  
ris vitio vel partis, vel alimenti ibidem collecti, vel alias ibi  
colligere sventi, tumores dicti calculos contineant. *Lapides  
proin in basi maxilla concretos dictus jam memorat Borellus Cen-  
tur. 2. Obs. 17.* Cujusmodi tumores meminit & *Thomas Bartholinus  
Centur. 4. Hist. 64.* qui à *Marco Aurelio Severino in recondita eru-*

ditionis de reconditâ abscessuum naturâ, opere l. 4 cap. 28. tubercula  
vocantur lapidi conda. Ad quos cupidum Lectorem dimittim⁹  
in præsens, ne tempus frustra perdatur.

Thef. II. Neq; silentii peplô involvendi sunt lapides in ab-  
scessibus repertos, quos historiarum fides ubique passim confir-  
mat. Sic *Borellus Cent. 1. Obs. 87.* verba facit de quodam ex umbili-  
ci abscessu. Cui iunge *Petrum à Castro*, qui in M S S. suis lapides,  
pisorum magnitudine, coloris subcrocei intra tres dies plus-  
quam XL. applicatô Ceratô Castrensi ex Caspari Caponis. *Uxo-  
ris supra os Ischii abscessu*, memorat profilientes: quibus de vide-  
sis præter dictum autorem *Philippum Jacob. Sachs Dissertat. Re-  
sponfor. ad D. Daniel Majoris Dissertat. Epistolicam de cancri & ser-  
pent. petrefact. pag. 104.* Huc spectant & *Apostemata* quæ & locum  
generationis lapidum benigne præbuisse testem provoco *Tho-  
mam Bartholinum Histor. Centur. 5. Histor. 91. pag. 172.* cuius verba  
hæc: *Nobilissime in Dania mulieri, fluxus in sinistra maxillâ supe-  
riore valde dolorosum apostema excitavit, quò maturô tandem & ru-  
ptô, calculus nucem minorem æquans prodiit, quem adhuc in rei me-  
moriâ servat, moxq; sedatis doloribus ulcus fuit procuratum.* Ha-  
ctenus autor. Pollicem huic premunt *Fallopium*, *Kentmannus*,  
*Paræus* aliique quos ad testimonium citat *Johan. Georg. Schencki-  
us l. de Lithogenesiâ cap. 4. & 17.* His adde *M. Aurelium Severinû,*  
*Arculanum in commentar. ad Avicennam*, qui cum *M. Benedict.*  
lapides tres ad quantitatem castanæ in apostemate inguinis mu-  
lieris, Veronæ se vidisse affirmat. Nec prætereundi hîc *Rhases*  
*10. controvers. 2. Galenus l. de Tumoribus p. n. & l. 2. ad Glauconem,*  
ac imprimis *Trincavellius*, asserens: se vidisse dum nobili ma-  
tronæ secaretur abscessus chirurgum extraxisse duram quandâ  
materiam ex eò abscessu, quam discernere non poterat num  
lapis potius esset vel os. Sic *Franciscus Valerius Medicus Man-  
tuanus* euræ alicujus fœminæ præfuit, cui post puerperium ex-  
crevit tumor in femore satis notabilis, malô quotidie aggravæ-  
scente, cum Topica nihil proficerent, dissectus est tumor, quò  
factô, lapis albus magnitudine ovi gallinacei proximus extra-  
ctus, ac non ita multò post pristinae sanitati restituta fuit misera.  
Vid.



Vid. *Gulielmus Rondeletius, Marcellus Donatus & ejusmodi alii* plures.

Thef. III. Quæ cum ita sint, quid prohibet quo minus dicam verè lapidem Bezoar (licet non omnem) in cruentatis simiis ex materiâ habili concrefcere atq; coagulari posse. Posita enim materia, materiaturum est vel esse potest. Res hæc autem quo melior percipiatur statim à locò generationis constitui subicere materiam ac modum generationis lapidis Bezaaris.

#### CAPUT XIII.

### Regionem ostendit in qua generetur.

#### Thef. I.

**D**E locò in præsentiarum verba facturus, non abs re fore judico, tribus tantum, quod dicitur, verbis regionem, unde nobis communicetur, absolvere. Determinatam verò regionem nemo hominum à nobis exiget, cum certi quid affirmare vix liceat, quia autores ipsi mirum quantum discrepent: accedit, hanc doctrinam à foro nostro planè esse alienam, id propter sagacioribus hæc potius relinqvam, quam incertum ac falsum quid proferam: sufficiant interim hæc, quod alii *Indiam* celebrent. *Indiæ* verò nomen cum paulò latius se extendat, & non tantum antiquorum *Indiam*; sed & tractum illum terrarum universum à Christophorò Columbò tempore Friderici IV. Austriaci A. Chr. 1492. inventū includat: nimis generaliter hoc dictū puto. Non tamen in omnibus *Indiæ* regionibus hæc animalia reperiri, manifestum jam atq; clarum: Nam uti in *Museo Septalino cap. 27.* inquit *Petrus ille de Osma Epistol. ad Garziam: ego omnia Mexicana regna, omnes Peruanas Provincias & Insulas Maranon floridam & multas præterea Occidentalium Indiarum regiones peragravi: attamen nusquam hæc animalia conspexi, quam in Solishujus regni Peru montibus.* Alii *Indiam* memorant *Orientalem.* Serapio in suo aggregatio: de simplic. cap. 386. *Occidentalem* alii. Nonnulli, uti quidem *Garzias & Linscottus, Persiam* tantum exprimunt. vid. *Caspar Bauhinus de lapid. Bez. cap. 18.* Quidam *Syam* & huic proximè adjunctas regiones substituunt. Nec desunt qui *Arabiam* cōmendant. vid. *Fragosus: alii alias proferunt regiones.* Quicquid tamen sit, ne manum in alienam messem immit,

immittere videamur quemque hic facile suo abundare ingenio patimur. Si quid tamen dicendum, rectius facere judicamus *Carolum Clusium*, certum locum haut definiens sed partim in *Persia*, cui adstipulatur *Jacobus Bontius* l. c. partim etiam in nonnullis *Malace locis* & in *Insula*, quæ à vaccis nomen accepit, non procul à Promontorio *Comorim* ejusmodi animantia degere dictosque lapides generare proclamat. Cæterum qui plura hac de re videre cupit, adeat *Antonium Deusing*. Fascicul. Dissertat. select. de lap. Bez p. m. 335. *Philippum Baldaum* in beschreibung der *Indianischen Küsten Maldabar & Coromandel* cap 16. pag. 97. *Garziam ab Horto* l. i. Aromat. Ind. cap. 46 pag. 192. *Philipp. Jacob. Sachs* Γαμμαργλ. cap 14 § 7. *Boetium* de lapid. & gemm. cap. 172. *Caspar. à Reies Elys.* juc. quest. camp. quest. 67. & ejusmodi plures.

#### CAPUT XIV.

Locum s. subjectum ut quò exponit, in quo s. Bezoar conficiatur: Ubi denique pro ventriculus eligitur.

##### Thesis I.

Ordo nunc tangit locum in specie, s. viscus illud partum hunc fovens enucleare. Quò de cum non absolutum sit judicium, necessarium fore duxi, plerasque autorum & eas quidem necessarias opiniones perpendere, vulgarissimam denique eamque valde certissimam luci committere. Ergo igitur primordia certe capitū debeo, ubi adsunt qui ex capite simiarum lapidem Bezoar desumptum judicant, vid. *Baldaus* l. c. cap. 24. Nec desunt qui in cordibus caprarum *Sylvestrium Indicarum* reperiri eos dicunt, uti ex *Chaino* referunt *Henricus à Brà* l. allegato pag. 21. *Caspar Bravo de Sobremonte Ramirez* l. c. pag. m. 170. *Jordanus de peste tract. 3. cap. 9.* Quid? quod & in renibus hirco cervi animalis *Indici* ex venenosis qualitatibus lapidem Bezoar coalescere scriptum reliquit *Job. Benedicti. Sinibaldus* l. 3. tract. 3. *Geneanthropeia* cap. 19. pag. 366. Vulgarissima omnium opinio ventriculum pro determinato loco habet, cum exempla prostant non pauca lapidum in ventriculis genitorum; sic de lapide *Boum* mensis *Martio Quercetanus de Medic. Spagy.*

*Spagy. preparat. cap. 6. Schröder. l. 5. Cl. 1. referunt unde proverbium forsitan (quia ovi magnitudine inveniuntur) natum Ovis sen legen Eyer. vid. Schenck. Lithogenes. pag. 93. Et ex eò P. J. Sachs Ταμναροδ. cap. 14. §. 8. quo refer & pilas s. topbos in vitulorum s. juniorum, imò & equorum s. vervecum ventriculis atq; etiam intestinis repertis quibus de vid. Wierus de prestigiis demon. l. 3. cap. 5. Plinius l. 11. cap. 37. Schenck. in appendic. sue Lithogenes. Thom. Bartholin. Hist. 21. Cent. 2. & Epistol. Medic. Cent. 3. Epistol. 8. Deusing. l. 1. c. & c. Nec equos ab iis liberos esse autores ferunt. vid. Raymundus Myndererus de pestil. cap. 15. Platerus Tom. 1. Prax. Andreas Chiocco in Museo Calceolar. sect. 3. Sachs. alleg. loc. Sic in palumbium s. columbarum saxatiliu ventriculis calculos quoq; generari Libavius auctor est Epist. 43. Sic deniq; in Rupicaprarum s. damarum ventriculis tales, quoq; nasci & quidem Bezaar testes habeo Georg. Hieron. VVelsch. Augustanz Reipublicæ lumen peculiari tractatu, cujus rubrica de Aegropilis. Baubin. & c.*

Thef. II. Rectius tamen, & quidem à Neotericis habetur capsula supra ventriculum, vid. Schröder. Pharmacop. Med. Chymic. l. 4. Class 1. de Animal. p. m. 276. aut si mavis marsupium singulare, aut receptaculum fascie modo efformatum, villosa carne constans duorum palmorum longitudine & ventriculo parte inferiore annexum, trium zarum latitudine & c. Olavus Worm. Mus. cap. 19. prope meatum sc. unde pabulum majorem in partem præparatum in ipsam ventriculi majoris cavitatem detruditur, Hinc Ph. Baldeus: Dieser Stein enthält sich in einen Sack der inwendig am Magen hängt/ und auß Haarichten Fleisch bestehet einer guten Spannen lang/ darinnen die Steine ganz ordentlich wie Knöpfte an einen Wammest sitzen/ wie ein gewisser Portugel davon schreibet. Vid. insuper Anselm. Boerius de Boodt l. c. p. 192. Anton. Deusing. l. d. p. 330. D. Casp. Brav. de Sobrem. Ramir. Casp. Schott. l. 8. cap. 26. §. 7. Quæ & in opinione lubenter subsistimus, donec probeur contrarium.

Thef. III. Cæterum quid sentiendum de lapidibus malè dictis Bezaardicis in ventriculo prolongatò hoc est in intestinis Godofr. Mæb. Inst. Medic. l. 1. cap. 10. genitis (ubi nonnulli intestina agnoscent renuia Baccius, Monardes, quæ que rectè ab hoc ipso interiora vocantur, cum crassis, uti ex Anatomicis constat, sint superstrata, vid.

vid. *Mæbius l. 1. c. 1.* patet alteram crassa substituit, uti ex *Marcello Donato* ac *Horstio in Epistol. med. s. 9. de gen. calc.* refert citatus *Mæbius l. 2. part. 2. cap. 6. p. m. 203.* ) ad tribunal B. L. defero. Nos interim tales pro veris nonnunquam venditabimus, quia præter formam externam nihil quicquam cum genuinis commune habent.

#### CAPUT XV.

### Agit de materia.

#### Thes. I.

**P**Edem jam promoveo ad *principia* vulgò dicta *essentialia constitutiva*, quæ nimirum lapidem hunc constituunt. Inter quæ eminent vel illud, quod *materia* Physicis dicitur, & quidem hinc loci, constitutionis ac permanens: quæ non adeò sub momento primò ac in actu signato, quod Metaphysicorum est, quam in actu exercito & sub momento secundo hic consideranda venit. Offerunt autem sese indagaturo non paucæ opinionum ambages, quæ prius relinquendæ, quàm veram ingrediamur semitam. Ubi initio occurrunt ii qui antiquissimum sed vacillantem *succum* agnoscunt *lapidescentem*, quorum è numero præter *Highborum*, *Beverovicium*, *Fonsecam* etiam sunt *Sperlingius Inst. l. 6. c. 5.* *Henricus Kippingius l. 6. c. 4. §. 1.* Eumque succum ex tribus principiis chymicis constare asserunt. Sed non ubique loquuntur bene. Rem alii acutetigisse firmiter credunt, dum *substantiam* ejus *terrestrem* vocant & quia hæc talis sit, id propter & ejusmodi principia agnoscere sibi persuadunt, memores forsitan illius: ex quo quid constat in illud etiam resolvitur. Nimis vero genericè hoc dictum puto quum terrestris materia plures sub se contineat species, ideo quænam potissima harum sit dispiciendum.

Thes. II. *Colchicum* aliquod *venenum* cum peculiari quadam herba materiam terream lapidi nostro suppeditare jam dudum docuere *Monardes l. 2. hist. simpl. ex India cap. 1.* cujus verba habet *J. Baptista Sylvaticus pag. 81.* *Caspar Baubinus cap. 20. A. Deusing. §. 32.* *Boëtig de Boodt* recensens opinionem de succo herbaceo concurrere speciali aliquo veneno. Rationem, quare post deglutita venena in tanta copia tantoque nisu herbas ingerant salubres, præbent hanc, quia à venenis se lædi sentiunt gravissimè, hinc ex in-

stin-

sanctu naturæ, (quæ conservationem sui amat, neq; unquam seipfam dissipat, sed contra dissipantem sese armat fortiter) majori impetu ad ejusmodi herbas salutare propelli dicuntur, eas ut devorent. Quò facto excrementa in ventriculo colligi, ex his denique lapidem hunc fieri sentiunt.

Thef. III. Tutius eos procedere judico *peculiarem* quandam *herbam* (sive terrestrem tantum istius herbæ succum in humorem resolutum agnoscas, s. tale quid simile, parum refert) asserentes, tales sunt *Josephus Acosta* è sanctissimâ Societate Jesu l. 4. *Natur. hist. & Moral. India cap. 42. Monardes, Olavus Wormius. cap. 19. Job. Nieremberg.* Quo nomine verò dicta veniat herba, ubi namque locorum agat radices, his nondum soluta. Et licet apud optimos autores quàm rarò de nomine mentio fiat, quippe quùm tantum salubriores, montanas pariter ac aromaticas appellant herbas; reperire tamen aliquot licet, qui contra hiervæ, radicis Bezoardicæ vel contra venena *Nard. Anton. Reclus rer. Medicar. novæ Hispania l. 8. cap. 58. pag. 302.* it. venenis adversantis mentionem injiciunt. *Monardes, Casp. à Reies quest. 67. n. 33. p. m. 917.* quam tamen aliqui Occidentalibus solum tribuunt animalibus, sic enim *Laurentius Gatalanus*: *Aber die Occidentalschen Bezoar wachsen und werden auff eine andere weise geformiret / & paullo post; Wenn solches die besagten Thiere (se sc. venenata fuisse) an ihnen spühren/ lauffen sie zum Kraut genant contra hiervam und essen es; & mox: Also wachsen oder werden sie von den Kraut contrayerva. tract. historico-medico. Bezoar Stein.* Id propter & colore ab Orientalibus differre dicuntur lapides, quod hi colorem radicis dictæ imbibant (h. e. cineritium) Illi verò à fragrantissimis herbis ex viridi nigricantem obtineant. Quicquid tamen sit: aut quicquid etiam *Nard. Reclus* cumq; eò *Simon Pauli*, de virtute hujus radicis extantiore ipsò Bezoare vel quoq; Theriacâ judicent: suos tamen habet olores pariter ac basiatores. Quid enim ex *Bauhino de Doronico* s. rupicaprarum radice dicam? quam cum *Clusio*, dicente sic *Simon Pauli Class. 2. Quadripartiti Botanici pag.* Austriarum Ariacarumque incolarum more ab effectu sc. *Krafft und Schwindel-Kraut/* vel etiam *Gemsen Wurzel* voces, per nos licebit? An forsitan hæc omnia simul cum herbâ quadam croco simili inter *Ceylam*

E

lam

lam & continentem Chormandel abundanter nascente longæ tra-  
dam nocti? minimè. Injuriosè certe agerem in *Petrum Texeram*  
pariter ac in *Caspar à Reies* quibus junges *Jacob. Bontium* æq; ac  
*Antonium Deusing.* loco utroque allegato. Hanc enim herbam,  
reverà hujus lapidis causam esse materialē vel ex eò patet, quod  
habet *Texerus* cumq; eo *Boëtius &c.* nimirum maximam aliquan-  
do, (nescio quo fatò) Insulam Nindundivam *Baldeo* s. die longe  
*Insel/in Beschreibung der Insel Zeylon cap. 45 pag. 398.* alias *Ilha*  
*de vaccas* apud Lusitanos testibus *J. Bontio & Deusingio* s. *Isla de*  
*vaccas* dictam (forsitan quia docente *Baldeo l. c. ex Tonday* in-  
gens copia vaccarum venalis ibi existit) horrendam aspectu passā  
fuisse inundationem, adeò, ut tota submersa videretur: quò fa-  
cto, quas servare licuit capras omnes aliò translatas fuisse com-  
perimus, quò ipso, illicò & lapides desisse gignere (quod prædi-  
cta herba ibi locorum non cresceret.) Elapsis verò paucis ab hinc  
annis, insulā à salugine maris liberatā, rursus producere cepit:  
quo intellectò capras ejusmodi denuò translatas lapides hosce ut  
olim produxisset, constat. Accedit testimonium *Jacob. Bontii*,  
hoc ipsum à Mercatoribus Belgio & Anglis fide dignis accepisse  
affirmans. ad quem & ejusmodi alios mille cupidum lectorem di-  
mittere in præsens cogor.

Thef. IV. Genuinus jam ac naturalis procreandi lapidis hu-  
jus explicandus esset modus, cursum nihi præsens hæc sufflamina-  
ret quæstio: *Cur ejusmodi animantia multis aliis in locis, ubi hæc non*  
*germinat herba, lapides producant?* Quærentibus hisce rotundò o-  
rationis genere respondere censeo, *Distingvendo inter lapides in*  
*genere sic dictos, & inter lapides Bezoar.* Illos equidem producere  
posse & actu generare, lubenter asserimus: cum experientiz Au-  
torum reclamare nefas sit; Hos verò ne quidem posse autuma-  
mus. Et licet tam multi pro veris venditentur, fraudem tamen  
Infelix admodum successus sat frequenter detegit.

#### CAPUT XVI.

### De modo concrescendi hujus lapidis.

Thef. I.

**M**isis hisce ad promissum me confero, dicèdo non succum la-  
pidificum, non crassum, ac limosum quatenus talem, non  
spiri-

spiritum lapidificum Facultatem λιθοποιητικὴν habentem, qualem  
 quidem sibi finxit Georg. Hieron. VVelschius *Dissertat. Medico-Philosophic. de Agagropilis pag. 15.* aut quicquid demum hisce simile  
 causam tam internam esse quam externam; sed partes verè terre-  
 stres, imò, juxta Joh. Joachim. Becherum in *Phys. subterr. l. 1. Sect. 2. cap. 3. pag. 34.* ipsam terram: quia hæc pro fundamento omnium  
 habetur, quid? quod totum orbem atomis terreis repletum esse  
 rationis microscopiò ab ipsò detectum, constat. His ita se habentibus  
 quare se Autores in perscrutandis causis angunt adeò, & ad  
 chimericum illum vel spiritum, vel succum dilabuntur lapidifi-  
 cum? nonne sufficit hæc terrestris pars? Entia non sunt multipli-  
 canda præter necessitatem: Nulla itaq; demonstratione opus hinc,  
 sed sensu potius. Et certe sensibus hinc fidem derogare & demon-  
 strationes poscere ἀπὸ ἁπλῆς ἀγνοίας est: & hoc faciens idem facit  
 ac qui piscatori, qui lucium se cepisse dicat, carpionem cepisse  
 syllogismo persuadere conetur. Immoti itaq; in eâ, quam capi-  
 mus, persistimus sententia, dicentes: *lapides in animantibus con-  
 crescere ex materia terrestri, arenosâ in alimentis quibus vescitur cor-  
 pus latenter harente, s. uti loquitur Ant. Rebus l. c. ex ipsis ali-  
 moniæ excrementis.* Hæc autem, quibus vescimur, alimenta,  
 cum teste Hippocrate de *priscâ medic. ἀνεπιτηδεια, ἀκρητα καὶ ἰσχυρα*  
 multa contineant, quæ nullo modo in corporis alimentum a-  
 bire possunt: Cumq; à Facultate Expultrice, tanquam alienum  
 quid, aut mox in principiò (si fieri possit) aut demum successi-  
 vè secerni debeant, hac verò debilitatâ vel impeditâ retinean-  
 tur, cum sanguineâ Malsâ, quæ instar Oceani se habet, misce-  
 antur, & ad partes nutriendas circulationis beneficiò deferan-  
 tur, non nisi lapides succedaneò tempore per modum appositi-  
 onis, docentibus sic Fernelio *l. 6. de partium morb. & symptom. cap. 13.*  
*Scaligero apud Sperlingium Inst. Phys. l. 6. quest. 1. cap. 5. p. m. 946.*  
 atq; particulatim per additamenta atq; accrementa, si sic appel-  
 lare convenit, generari ac produci queunt. Eam opinionem  
 damnat magis, & magis probat sudor ille arenosus, scorbuti-  
 cis si sine dolore conspicitur, proprius. vid. *Magnific. Dn. D. Schneider. Medicinæ Reformator toto orbe Celeberrimus l. 3. de Catarrh. 6. 7.* Estq; sudor arenosus ille, quò multum sabuli

per sudorem ita excernitur, ut arenæ vestigia, pulvis nimirum frictione dissipabilis, in cute atq; etiam in indufio deprehendantur. Parvulas etenim arenulas, nonnunquam sat visibiles & acres offendere licet in indufio, adeo, ut etiam vulnerent tangentium manus. Hujusmodi memorat *Thom. Bartholinus Histor. Anatom. Cent. 1. hist. 34.* cujus verba hæc: *Illustris quidam vir Regius in Selandia Præfectus calculo & arthritide domesticis hospitibus sepe obnoxius, subinde in largissimum sudorem solvitur, quò non serum exsudat, aut sicuti per poros liquores sed quod mireris, manipuli arenularum, quas inducta manu abstergit. Quotidianum id nobili viro & à Medicis saluti, illius excubantibus visum per sepe, testis mihi est fide dignissimus D. Olaus Wormius.* Hactenus autor. Hic sudor itaq; si supprimitur, calculus magis magisque crescit & augetur. Ex quo colligere facile est lapides tam omnes, quam nostrum quem vocamus Bezoar non generari ob lapidificam constitutionem; sed potius calculi materiam cum M. S. deferri ad partes atq; in iis coagulari. Hinc ut rem paucis demus, docente sic Nobilissimo Dn. Præside *l. c. pag. 235.* eâ in parte concreverunt lapides, ac possunt, in quam alimentum defertur. Et hæc de modo generationis dicta sunt.

#### CAPUT XVII.

### De Signis Diagnosticiis.

#### Thef. I.

**T**Empus neq; minus ordo instat, jam de signis agendi. Ergo igitur quâ ratione ab adulterinis æq; ac factitiis dignosci queant paucis dicendum. Quùm verò in ultimâ hac mundi ætate (quas secundum divinas ordinationes & temporum occasiones à Deo ita dispositas habere mundum ex *Cass. à Reies quest. 25.* abunde satis constare arbitror) opum furiosa cupido *Ovid. li. Fastor. v. 105.* usque adeo cum tanta hominum astutiâ ingeniorumq; excellentiâ creverit, ut nihil tam arduum æque ac difficile ut & sit periculosum, quo non tendere illudq; superare laboret mens humana. Et!

Quid non mortalia pectora cogis

Auri sacra fames?

*Virgil. l. 3. Aeneid. 56.* Omnes enim genuini Bezaaris conditiones

CUM



cum internis externas perbellè consuevere imitari, adeò, ut discerni queant minimè. Nihil ominus tamen *salutis præsēs* vid. Nobiliss. Dn. D. Schneider. Præsēs atq; Doctor noster sapius, nunquam tamen laudatus satis l. 1. de morb. cephal. cap. 1 p. m. 2. salutisq; custos Medicus Q. Curcius l. 3. c. 6. n. 1. cum not. Freinshem. in id incumbat sedulò, quò verum à falsò discernere queat. E contrà morbis præsentissimum periculum in expectatione erit. Præterquam enim quod viribus non respondeant suis, ea nonnunquam in conficiendis illis admisceantur, quæ periculò non careant: ut sunt *Antimonium minerale* quo vix perniciosius ullū. *Primeros* l. 4. cap. 54. *Argentum vivum* s. *Q. vivus*, qui non rarò *Q.* mortis esse solet, quia vim nocivam obtinere creditur. Vid. *Diascorid.* l. 5. c. 7. & l. 6. c. 28. *Ætius* tetrabiblor. 4. sermon. 1. cap. 79. *Galenus* 9. *Simplic.* *Avicenn.* l. 2. tract. 2. cap. 47. *Petrus Abanus Apponensis* s. uti alias à loco dicitur *Petr. Paduensis* degens Anno 1473. tract. de venen. cap. 2. *Cinnabaris*, *Creta*, *calx*: *ostrearum testes*. vid. *D. Casp. Bravo* l. c. p. 172. *sanguis* itidem *siccus* ac deniq; *lapis Bezaar* in scobem redactus. *Christoph. Acosta* simpl. Ind. Oriental. cap. 21. *Quis itaq;*, ut recte *Bauhinus*: *lapides ex cretâ, calce, ostrearum testis* & *siccò sanguine conflatos, taceo ex cinaberi*, sunt ipsissima *Autoris* verba ) *Antimoniò, Argentò vivò* & *similibus confectos nocentissimos* & *lethales esse non dixerit.*

**Thef. II.** Ut ut autem sit, licet certi quicquam vix ac ne vix quidem dicente *Cortefio*, cui adstipulatur *Guilh. Fab. Hildan* *Obs. Chirurg. Cent. 4. Obs. 25. p. m. 307.* ex signis concludere valeamus. Aliquas tamen, easque potissimas ex *Autoribus* recensere iuvat notas quantumq; iis tribuendum brevissimis delineandum. Ubi statim omisâ methodò *Syvatici* ductum *Caspari Bauhini* sequi constituimus, dicentis: *Illas notas desumi* (α) à forma. (β) à laminis. (γ) ab interiore cavitate. (δ) à pondere. (ε) à commistione cū calce. (ζ) ab evanescentiâ in auram carbonibus si injiciatur. (η) à flammâ. (θ) à friabilitate, liquatione & dissolutione in aquâ. (ι) ab infectione dentium & collisione ad dentes. (κ) à probatione cum acufactâ. (λ) à lapidis fragmentis. (μ) à magnitudine. (ν) à vomitu. (ξ) & ab ipsâ deniq; experientiâ.

**Thef. III.** Singulatim singulas perlustrare animò sedet. Ab

ovò ita q; sine cunctatione primordium' ducens, mihi sese exhibet *forma s. figura externa*. Hæc cum non una sit; sed vel pro matricis habitudine. vid. *Bauhinus l.c. cap. 23.* vel casu mirum variet in modum: Hinc certam ac determinatam nemo hominum à nobis exiget. *Communiter autem & ὡς ἔστι τὸ πᾶσι omnes utraq; extremitate obtusi, oblongi, glandis imagine, non mucronati aut in cuspidem desinentes, uti quidem cum Monarde voluere plures alii; sed semper obtusâ formâ conspiciuntur.* vid. *Anselm. Boetius de Boodt l. c. p. 181. Henric. Salmuth, &c.* Multum tamen variant. Sic quosdam *dactylorum officula æmulantes* prodidit *Paræus. Formam columellæ referentes* habet *Garzias ab Horto.* Speciem sic alii *glandis quernæ* tam exactè simulant, ut eas esse Jovem jurares lapidem. *Andr. Chiocco in Mus. Calceolari Sect. 3. Jordanus tract. 3. cap. 9.* Quid de *castanearum formâ* dicam, cujus mentionem faciunt *Monardis, Anton. Densing. fascic. Dissert. select. de lapid. Bez. §. 34. Ryff. Boetius. Fabr. Hildanus Cent. 4. Obs. 24. p. 308.* Quosdam *avellanæ nucis* similes conspexit *Ryffius & ovum referentes Olaus Wormius Mus. cap. 19.* quos tamen factitios sicut & formam renum æmulantes judicant *Andr. Baccius de gemm. gemm. natur. cap. 34. D.C. Bravo l.c. pag. 172. b.* Rotundi alii, orbiculorum instar, triangulares, sub rotundi, renis formam describentes visui nostro sese objiciunt. vid. *Rauvvolff.* Hinc lapidem *Bezoar hedi renem exactissimè referentem* se habuisse jactitat *Nic. Monard. tract. de lap. Bez. & herba Scorzon.* ex editione *Clusii,* qui hunc autorem *Hispanicum Latio donavit. pag. 9.* Cui quò ex asse consentit *Olaus Worm. cap. 19.*

Alterum in ordine à *laminis* petitum erat. Ubi nativi testibus *Boetio, Heblino, Henr. Salmuth, Monarde, J. B. Sylvatico, Witrichio* iisque plurioribus, multis sibi invicem junctis, caparum instar corticibus constare dicuntur: quo unò ablatò, alter splendidior conspiciatur *Olaus Worm. cap. 19.* Causam hujus glabritiei reddere promittit *Sylvaticus,* quam tamen transcribere nolo. Eaque propter valdè glabrum (non quidem ratione formæ externæ, quæ teste *Baccia* rudis est non rarò & inæqualis, prout esse solet forma calculorum in vesicis, sed internæ, sublato sc. cortice superiore) antores commendat passim *Anselm. Boetius de*

*de Boodt l. alleg. cap. 194. Andr. Baccius de gemmar. natur. cap. 34.*  
At! quicquid demum cum *Clusio l. 1. Arom. cap. 45.* dicant *Garzias ab Orta* ac ipse etiam *Jacob. Bontius not. ad cap. 45. Garz.* adul-  
terinos lapides his carere prorsus laminis, iccirco & fictitios  
omnino judicent eos omnes si superficiali abrasâ tunicâ nō suc-  
cedat alter orbis cæparum modo donec ad paleam deventum  
sit. Quicquid inquam, de impossibilitate obmurmurent dicti  
autores, Experientia tamen apertè his contrariatur: Dum ta-  
les cortices, licet difficulter admodum effictos, vel etiam mon-  
strent Pharmacopolæ: ut taceam illum fictitium quem sæpius  
monstratum in hoc vidi pharmacopoliâ. Ut adeo contra pos-  
se hujus non adeo ad sanguinem usque desudandum sit quin po-  
tius historiæ eorum eloquantur, qui lapides vel paucioribus  
præditos tunicis, vel ad centrum usque continuos habuerint.  
Cæterum inficias nequaquam ibimus hæc omnia genuini lapidis  
Bezaar propria admodum signa esse: talia verò ab ingenuosâ  
impostore arte effingi, vel aliis in lapidibus reperiri non posse,  
est, quod negamus meritò.

Thes. V. Accessum facio ad *cavitatem*: quâ de Autorum  
ingens occurrit litigium: sunt qui hanc ipsam falsis propriam  
faciunt; Nec desunt qui eam veris tribuunt. A parte hujus stat  
Clarissimus ille Medicus Hispalienfis *Nic. de Monardis* expressè  
differens: *legitimos & minimè adulterinos in meditullio concavos*  
*esse*: cui calculum addit *Olaus Wormius*. Id quod & communis  
fert sententia plerorumq; omnium, asserentium: in mediò eos  
lapides concavos esse ibiq; vel pulverem ab interiore laminâ  
recessum. *Boetius cap. 194. Ryff. reformat. Fragos.* vel paleam te-  
nuissimam fovere. *Garzias ab Hort. l. 1. Aromat. Hist. cap. 45. Lin-*  
*Schottus, Acoſta,* qui semper & ubiq; in meditullio aliquid repe-  
riri statuit, s. parvum cinereum granulum, s. herbam siccam  
conglobatam, s. tale quid aliud. Mentem hujus corroborant  
*Andr. Chiocco in Mns. Calceol. Sect. 3. Scaliger &c.* Ut itaque de  
iis ne verbum quidem: Sed tantum ad Pergam hinc *Gvidonis*  
*de Lazaris,* hinc *Jac. Bontii de medic. Indor. l. 1.* effata, quorū ille  
quidem totum orbem pervagatus, Sinarumq; in regione versa-  
tus aliquandiu, *Monardi* retulit ludos inveniri, qui ex *Mafsâ* il-  
lius

lius cognita adulterinos conficerent: verum binas illas notas imitari nunquam potuisse, Laminas sc. & pulverem. Hic verò: *nunquam* (quod nimirum palcam habeant intus) *hoc fallere ait nisi in adulterinis.*

Thef. VI. Quæ cum ita sint meritò & iis suffragamur cavitationem admittentibus. *Sanctorii* interim æque ac *Herc. Saxonia* aliorumque sententiam proscribentes notam hanc adulterinis & arefactis adscribere qui satagunt: Rectoq; tramite ad illud me convertito signum de *pondere* agens. Nunquam autem in totâ hac signorum classe certamina desunt ac bella, quibus neq; hoc caret, & alii pondus grave, leve alii, quidam deniq; medium amplexantur. Quicquid autem sit, brevitatis studiosi suò quemq; luxuriare patimur ingenio cum teste *Bauhino*: pro materiæ copiâ aut inopiâ magnitudo ejus & pondus variet mirificè. *l.c. pag. 130.* Omnium optimi tamen ex iis, qui 3. XII. XV. vid. *Christophor. Acosta, Anton. Deusing. Garzias* imò pendent 3. XX. *Heblinus* habentur qui mediocres & 3j. aut ad summum 3ij. non excedunt. *Caspar Bauhinus de lapid. Bez. cap. 27.* De modo autem procedendi, verumq; ab adulterinis dijudicandi sufficiat *Baldæum & Jacobum Bontium* vel nomine appellasse.

Thef. VII. Quidam sibi alterum à tertio velit in ordine signum dispiciendum. Sumitur autem *ex commistione cum calce*, & quidem hoc modo: lapidem Bezoar linguâ humectatum muro vel calci vivæ, imò & *Cretæ* ac m. linteò molli affricant: Vel, quod idem, uterq; pulverisatus volæ manus iuditur; vel chartam etiam adpersunt hisce: quod si probus deprehendatur, extemplò calcem aut tale objectum colore subviridi, aut luteo, si *Philippo Baldæo* fides assignanda, addunt alii, uti *Bontio*, puniceum, inficiet: sin minus, factitii notam edit. *Boetius l. 6. cap. 149. pag. 185. Rauwolfius sui Itinerarii part. 1. cap. 8. A Castro part. 2. l. 2. cap. 5. de mulier. morb. Olaus Worm. &c.* Hoc verò infidam quoque habere certitudinem non difficile erit adeò probatu: Peruvianos eò ipsò carere colore, nullus impugnat: neque omnes Orientales hoc superbire jam clarum. Ceterum si eorum qui virescunt explorationem habere satagis *Sylvatici experimentum* eligas quæso, ut simul rationem ex *Aristotele* reddat

dit elegantiore[m], quam hic addere quid prodest? Huic jungē  
sis Epistolam Philiberti Saraceni ad Guilh. Fabr. Hildanum,  
quæ habetur *Cent. 4. Obs. 84. p. 308.*

Thef. VIII. Ob chartæ angustiam tribus tantum signum  
à flatu desumptum attingendum. Longè etenim in hisce futili-  
tatibus immorari ratio aliud svadet. *Garzias* verò autor est  
Mauritanos lapidem manibus compressum spiritu inflare, si-  
gnumq; exinde capere: eò enim transmissò adulterinum esse  
judicant. Cui ex asse consentiunt *Christ. Acosta, Paræus, Carol.  
Clusius &c.* Verum enim verò, uti recte monet *Caspar Bauhinus.*  
*experimentum hujusmodi facere impossibile prorsus erit, nisi prius  
ab utraq; parte apertus fuerit lapis.* Quid? quod si *Sylvatico* cre-  
dendum: aërem perceptum potius per spatium inter manus &  
lapidem existentem pertransisse dicendum. *Arctisimè* (loquor  
cum Autore) *comprimatur lapis in manu, & tamen tale ex necessitate  
remanebit vacuum, per quod subtilissimus suâ naturâ inflatus spiritus  
possit pertransire.* Hisce cognitis sagaciores hac in re animum  
exerceant, ad reliqua abiturientes nobis haud licet.

Thef. IX. De friabilitate, liquatione & dissolutione in aquâ quid  
sentiendum, exponam: Bonum ore detentum in liquorem fa-  
cile abire, nihilq; teste *Boetio cap. 194.* arenosum habere; & cõ-  
minutum scintillare cum *Jordano de peste tract. 3. cap. 9.* affirmant  
*Ambr, Paræus, Gabelchoverus, Andr. Baccius, Lonicerus, Cardanus 17.  
variar. rer. 97. Anselm. Boet. de Boodt l. 2. de Gem. & Lap. hist. cap. 191.  
J. B. Sylvaticus. Wittich* Contrarium tamen, saniori forsitan mē-  
te præditus, sentire videtur *Heblin.* inter certissimos ac præci-  
puos probandi modos illum recensens: quod si aquæ bullienti  
verus lapis injiciatur nihil huic, uti adulterino præ mollitie  
diffuente, obesse firmiter asserens. Id quod & consentaneum  
magis videtur illò, cùm lapidum naturæ adversetur manifesto  
illa autorum opinio: Hæc è contra conveniat perpulchrè.

Thef. X. Nos in conjecturis fœcundo ac amplo campò quæ-  
libet suum decerpere patimur, cùm & optimi autores conje-  
cturent, non doceant apodicticè. Ad alia properantes offen-  
dimus illud de infectione dentium huicq; quàm proximum de colli-  
sione ad dentes. Illud quod spectat, deprehendimus lapidem ge-  
nari-

F

nari-

nuinum dignosci posse ex eo, quod contactu eius corporali dentes nigrorem quendam concipiant: ex quo nonnulli vim deleteriam huic adscribere non erubescunt: Hinc usum, cochleari intra fauces (ne medicina attingat dentes) demissio haud improbare videmus. *Andr. Casalpinum Medicum Romanum l. 2 metall. 46. Andr. Chiocco in Museo Calceolari Sect. 3. Anton. Deusing. Fascicul. Dissert. select. de lapid. Bez. S. 2. pag. 343. Collisionem vero ad dentes quod concernit: synceros esse iudicat Heblin. ex relatione Hyrusz mercatoris cuiusdam, claros parvi silicis instar sonos edentes: quod tamen Christophor. Acosta reprobando falsis tribuit.*

Thef. XI. Signum posthinc, quod de acu candente lapidi infixio, recensentur semel atque iterum ex Heblino cogimur accipere: Ne vero iusto plus in enumerandis signis immoremur B. L. ad eum ablegamus; ubi deprehendet falsitatem sapere eos lapides bullas ex acus immissione emittentes. *Olaus Worm. vel etiam teste Philip Baldeo in Beschreibung der Indianischen Ruffen Malabar & Coromandel cap. 19. immutatos paulo: aut juxta Casalpinum neque minus Andr. Chiocc. l. c. mollescentes: vel denique ingratum de se spirantes odorem. vid. J. B. Sylvaticus pag. 100. partem enim materiae admixtam uri ac fuligines tetrum odorem spirantes emittere ait. Ast vero: atque hoc fieri posse, quam si quis lapides digitis comprimere tentet, quis adeo demens non percipit?*

Thef. XII. Restat, ut de fragmentis quoque, magnitudine ad denique ipsa rerum Magistra experientia ab aperiendo ita, teste, *Georg. Meiero in solid. Philosoph. fundament. Gnostoloigie. part. General. c. 3. sect. 1. Theorem. p. m. 108. dicta quae aperiencia, quia rem ignotam apertam reddit, agamus. Illa itaque, quod spectat: adulterini dicuntur illi, cuius frustra admodum, si frangantur, durae sunt, ut terrae coctae aut gypsi more relinquantur. vid. Andr. Baccius cap. 34. adde sis Sylvaticum. Contrarium tamen sentire videtur Philibertus Sarzenus in epistola ad Hildanum scripta cumque eodem Hildan. Cent. 4. Obs. 24. p. 309. Verum licet ponderis alicujus haec esse videatur, cum ejusmodi in nativis vix deprehendantur conditiones. Attamen quo non tendit hominum industria, caelum ipsum petere videtur, simile itaque impostores fingere, non est, quod dubitemus. Magnitudinem perpendentes, eam pro loci,*

loci, temporis ac materiæ ratione uti ex *thes. 6.* constat mirum  
in modum variare, colligimus: Et licet, docentibus *Cassar.*  
*Baubino cap. 24. Philippo Baldeo l. c. cap. 16. pag. 97.* maximi ovi galli-  
nacei magnitudinem vix ac ne vix quidem excedant pleriq; ut  
ova columbarum & exiliores reperiantur. *And. Chiocco* Interim  
tamen grandiores paulo inveniri experientia manifestavit Sic  
amplitudinis admodum raræ lapidem ostendit *Sylvaticus: pomis*  
*aurantium equantem*, cujus magnitudo monente *Garzia* admo-  
dum rara est ac peregrina. Et *Anselm. Boetius cap. 191.* meminit de  
lapide *Bezoar* (quem habuisse Imperatorem historiæ ferunt) o-  
vi *anserini magnitudinem* excedente, ex quo confici jussit Impera-  
tor poculum: hoc dissecto medullium ipsius herbas eximiè re-  
dolentes præbuisse testis est *Anton. Deusing l. c.* Cæterum de lapide  
*Bezoar ovum struthiocameli equante.* vid. *Olaus VVorm.* deq; illo  
naturali Pharmacopœi, apud Neapolitanos præstantissimi, de-  
cem librarum pondere. vid. *Cass. Baubinus, Ludovicus Gyon, Amatus,*  
*Fragosus, &c.* Nos de experientia jam solliciti sumus.

*Thef. XIII. Guilbel. Fabricius Hildang* signa diagnostica sedulo  
pertractans, ea tamen sæpissimè incerta esse, & fucum detegere  
non posse, experientia edoctus *Cent. 4. Obs. 24.* ausus est affirma-  
re. Hinc in epistolâ ad *Philibertum Jani Antonii Sarazeni filium pag.*  
*309.* inquit: *ad experientiam quidem confugerem, nisi illa propter occa-*  
*sionis celeritatem, & corporis humani dignitatem tam periculosa esset:*  
respexit forsitan autor ad *Sect. 1. Aphor. 1.* quem explicatum vide  
apud *Job. Heurnium not. ad Aph. Hippoc. p. 18.* Quicquid horum sit  
audiamus verba *Petri Potiri l. 2. Pharmac. Spagy. cap. 25.* etsi legiti-  
mas notas apud scriptores habeamus, melius tamen usu, & ex-  
perientia cognoscitur. Hoc & verissimum esse optimi quique  
autores probant *Olaus VVorm. Boetius cap. 194.* Ergo igitur ex-  
perientiam autorum tacitè relinquere nefas duxi: Sic *Bodinus*  
*theatr. l. 2. Lonicerus &c.* experimenta bestiarum gallorum, colu-  
barum, anserum, canum & sic porro afferunt, ubi binis anima-  
libus venenum jejunò stomachò propinant alterò horum ani-  
mo linquente, pulverisatque lapidis justam Dosis accipiente,  
si convaluerit probum, sin minus, supposititium iudicant. Alii,  
uti interprete *Clusio Garzias ab Orta l. 1. Aromat. cap. 45.* tale quid  
F 2 præ-

præstant filò illinitum venenò & per animalis partem trajectò,  
in vulnere filò relictò. vid. *Fragosus, Casalpinra, Sylvaticus, Ryff.*  
*Philipp. Baldeus cap. 24. pag. 163.*

Thef. XIV. Sed verò cum difficultatis neq; minus dubita-  
tionis plena hæc sit exploratio, imò juxta *Baubinum* experien-  
tiæ nomine indigna attonitos nos reddit maximè. Inter sacrum  
itaque stamus & saxum verentes ne, (ignoscite phrasi Terenti-  
anæ *Pborm. Act. 2. sc. 1. v. 11. vid. & Index Terent. Jac. Kockeri Linnerū*)  
in nervum deniq; erumpat isthæc assertio. Accedit, quod an-  
sam dubitandi præbet, magis: experientiam non in homine  
sed in bruto institutam fuisse. Hinc meritò subnascitur quæstio:  
*an, cum signis certis destituti simus ad cognoscendum necessarius, propte-*  
*rea ab arte hac nobilissimâ ac juxta Hippocratem in leg. præclarissimâ*  
*eliminandus sit lapis Bezovr?* Quærentibus hisce respondeo: *int-*  
*rimè!* quia ab exitiosis & propè calamitosus hominem liberat  
malis id quod exemplis illustrandum foret nisi tempore exclu-  
derer. Dein, quia teste *Galeno 1. de U. P. cap. 23.* frustra natura  
nihil operatur, sed *omnia propter hominem homo autem propter*  
*Deum, ceu habet Physicorum diverbium.* Uterq; itaq; hic im-  
pingit graviter & qui eò abutitur, vid. *Guilhelm. Fabr. Hildanus*  
*Obs. Chæirurg. Cent. 6. Obs. 88. & 89. pag. 615. 616.* quiq; cum respuit  
Cognitionis hæc difficultas medicos, ut cautè incedant, ad mo-  
net, nullius auctoritati addicti undiq; prospicere jubet ut impo-  
stores detegant *J. B. Sylvaticus.* Huc spectat illud *Nollij Physic.*  
*Her. 1. 8. cap. 3. pag. 325.* cujus verba à *B. Sperlingio Instit. Physic. 1.*  
*cap.* mutuò accipias quæso. Experientiam deniq; in brutis  
factam lapidis usum non destruit, cum non semel hæctenus atq;  
olim *Experientissimi Medici eò usi sint: adeò ut etiam mulier-*  
*culæ eum tractare non erubescant amplius.*

#### CAPUT XVIII.

### De Qualitatibus lapidis Bezaharis chymicis.

#### Thefis I.

**D**E *qualitatibus principiorum chymicorum nostri lapidis in præ-*  
*sens verba faciens: non prolixus ero de existentia neque*  
*minus essentia principiorum chymicorum. Quibus de vid. Diss.*  
*Physic.*



*Physic. Dni. Michael. Valtheri de principiis chymicis in genere hinc loci. Anno 1662. habita Sect. 2. quest. 1.* Sed hisce præsuppositis per pauca de eorum tantum qualitatibus, quæ omnium consensu absolvuntur: *colore, odore, sapore &c.* hic agere constitui; Initiū faciens occurrit *color*, hic quid sit exponunt *B. Sperling. Instit. Phys. l. 5. cap. 5. §. 11. Henric. Kipping. l. 5. c. 4. §. 11. &c.* simulq; subdivisiones adspergentes, quos *B. L.* adire haut gravetur. Omnem a colore ex  $\Phi$ e esse, satis constare arbitror, quò separatò. inquit *Sperling. Exerc. Phys. l. 5. Exerc. 5. propos. 3. p. m 528.* perit color. Hinc prò variâ  $\Phi$ is mixturâ, varii surgunt colores. *Kipping. l. c. §. 4.* Et quæ carent  $\Phi$ e, colore & omni fermè. Abeant itaq;  $\Phi$ is olores, quos refutatos habet cit. *Kipping. l. c. §. 13.*

*Thef. 2.* Hisce præmissis faciliori gradu ad species eorum  $\Phi$ , si mavis, *intermedios* procedimus *colores* quibus noster lapis dicitur superbire. Sciendum autem hic: *genuinos* ut plurimum colorem referre *herbaceum ex nigro virescentem*, vid. *Olaus Worm. Anselm. Boerius de Boode cap. 191. Anton. Denysing. l. c. §. 34. Andr. Battig,* qui ex virescenti, cum *Henr. Salmuth*, ad fuscum rufescentem inclinant. Sic obscure virescentem *Linscottus* & colore herbaceo nigricantem memoriâ custodiunt *Casalpinus, Guilb. Fabric. Hildanus, &c.* Sic ex albo cinereum *Heblin, Subcinereum*, qualem quidem refert *Zibethum* è felibus egellum, habuere *Boetius, Sarzenus.* Quibus adde illum *Strocinereum Ryff.* Et licet non unquam *Rubrum* observarit lapidem *Jordanus*, talem verò extitisse testis est *Philip. Baldus l. c. 24.* Quò spectat *candescens* lapis, quem præter *Nard. Anton. Rechum l. 9. rer. medic. novæ Historiæ thesauro cap. 14. p. 326.* nullus hominum, quos quidem ad manus habuimus, literis credidit. Ubi tamen circa calcem thesæos omittendus haud venit *niger flavus*, vid. *Martbiolus l. 5. in Dioscorid. cap. 73.* Quinam verò, ex dictis, *optimus* censeatur superius monuisse videor, nimirum qui teste *Boetio cap. 194.* ex *viridi nigricat*, quicquid demum *Martbiolus* de flavescenti dicat, aut objiciat *Serapio* citrinos, cumque eo *Christophorus Acofta* olivæ colorem referentes. Nonnunquam tamen ad credendum commovebunt nos. Abundet interim unusquisq; suo ingenio, per me licet.

*Thef. III. Odorem deniq; juxtim ac saporem nostri Bezaa-*

ris quod concernit; cum autores adhuc cespitent an adscribere tales qualitates huic possit, reclamante etiam asserentibus experientia id propter brevitatis studiosi B. L. ad *Lonicerum*, *Garziam ab Orta*, *P. a Castro de morb. mulier. Sarazenum de peste*, *Richardum*, *Andr. Baccium* & ejusmodi alios dimittimus.

CAPUT XIX.

De Differentia Lapidis Bezoar.

Thes. I.

**O**missis aliis à formâ externâ &c. differentiis desumptis, tribus hanc nostram differentiam absolvimus: Ubi aliàs Bezoar lapis *ratione loci* est, vel *Orientalis* vel *Occidentalis*: Dein *ratione suæ naturæ* alius vel *Legitimus*, vel *Adulterinus*; ac deniq; *ratione pascui* vel *optimus* est & utilis, vel *ignobilior*. *Orientalis*, qui præter Persiam etiam in Ægypto, Chinâ Cathaiô & Indiâ reperitur *omnium præstantissimus* esse perhibetur ob salutiferas, quas in Persiæ montibus depascuntur animalia herbas præ iis, qui in planis & campestribus Malacæ locis ad lanienam servantur. vid. *Ans. Boetius* cap. 191. *Philipp. Baldaus*, *Andr. Chiocco*, *J. B. Sylvaticus*, *D. Cass. Bravo de Sobremonte Ramirez*. &c. De *Occidentali* quæ habet ex *Gulielmo Pisone* l. 3. *Hist. Natur. & Medic. Sect. 3. Gaspar Schott* quod vulneratum animal in fugâ lapidem è ventriculi fundô eructet sublestam meretur fidem. Interea temporis tamen inferiores paulo dignitate Orientalibus habentur. vid. *J. B. Sylvaticus*. de *lapid. Bez. part. 2*. Legitimum dein quod attinet ac adulterinum (quod vocabulum in sensu metaphorico accipias quæso) cum nimis longum foret modum prius conficiendi, mox materiem & sic porro recensere, capropter hæc mittimus: satis est nos scire eos adulterari, quâ ratione id contingat vid. *Christophor. Acoſta* l. *Simpl. Ind. Oriental.* c. 21. & 66. *Monardes*, *Fragos*, *Serapio*, *Cass. Baubinus* tr. de *Lap. Bez.* c. 24. Hinc cum *Augenio*, *Hercule Saxonia* l. de *plica* cap. 59. fateri necesse habemus: verum ac genuinum non modò admodum rarum esse; sed rarissimum, ut adeò nonnulli vereantur, ne omnes sint falsi *Franc. Vallesius* l. 4. *Method. Med.* c. 2. *Zwelfer*. in *Pharm. Augustan. Append. ad animadv.* p. 65. *August. Thoner* l. 1. *Observ. med.* pag. 16.

Thes.

Thef. II. Utiles deniq; , ut ad institutum pergam, eos esse censent, qui ex animalibus in montanis oberrantibus eximuntur, quiq; saluberrimis vescuntur plantis. vid. *Monard. Simplic. medic. hist. cap. 34. Nard. Anton. Rebus l. 9. cap. 14. pag. 326.* Ignobiliores verò hos, quos ferunt capræ in planis viventes. Idem *Monardes, Andr. Chiocco Mus. Calceol. Sect. 3.* Et sic porro.

#### CAPUT XX.

### De Pretio.

#### Thef. I.

**R**estat ut de pretio subjiciantur pauca. Uti verò notandum (in tanta disidentium copia) lapides Bezoar quondam magno solutos fuisse pretio. vid. *Baldus c. 16. § 24. p. 162.* Sic *Amatus* refert lapidem Bezoar 130. aureos valuisse. Imò pro 3j plus vel minus in Cochin & Goa viginti aut etiam viginti quinq; persolvisse taleros emptores legimus. Ubi tamen notandum: integros lapides unius vel duarum drachmarum pondere vendi seorsim, ita quidem, ut pro specioso quinquaginta, imò centum imperiales Turca aut Judæus Apella repræsentent facilius quàm Lusitans Venetus. vid. *Boetius l. 2. de lapid. ac gemmar. hist. cap. 194.* Seculò verò sequenti pedetentim paulatim ejus dignitas imminui cæpit: Præter enim quam lapis drachmarum V. pondere in Lusitania LXIV. aureis Lusitanicis persolutus sit. vid. *Garzias, Vvirich.* mox in inferiori Germania lapis Or. unicus 3ij. pendens duobus solidis s. Daricò, à Dario, (cujus imaginem insculptum habebat numisma) sic dictò. vid. *Jo. Freinsbem. comment. in lib. 3. Curtii cap. 13. n. 16. not. pecunia signata: comparatò,* vid. *Job. Eusebius Nieremberg. l. c. cap. 60.* In hoc verò exulceratissimo seculo, loquor cum Hildano, & quidem hîc loci in pharmacopoliò gr. i. duobus grossis, extat venalis. Ast in gratiam magnatum multa fiunt. Mundus vult decipi! decipiatur.

#### CAPUT XXI.

### De Qualitatibus primis Bezoaris, ejusque virtute.

#### Thef. I.

**U**berioreme esse hac in re instituti ratio prohibet: Ergo igitur

gitur fatietatem longæ orationis effugiens, moneo: Autores  
de hac quæstione: per quasnam qualitates lapis Bezoar suas pera-  
gat vires? an per primas? caliditatem nempe, frigiditatem, hu-  
miditatem aut siccitatem? An deniq; per occultas? disfidere eo-  
gregiè. Multi autorum primas qualitates hîc exulare jubent,  
quod & facere videmus Boetium de Boode: præter siccitatem nul-  
las qualitates manifestas obtinere ipsum, asserentem l. 2. de lapid.  
ac gemm. hist. cap. 193. Aliqui frigiditatem amant, fovent, propu-  
gnant & ad sanguinem usq; mortemq; defendunt. Rationes e-  
orum potissimæ desumuntur ex lapidum natura, quæ teste Ga-  
leno l. 9. Method. 17. frigida est & sicca: altera eorum à similitu-  
dine petitur, quia lapides cuncti in renibus ac aliis corporis par-  
tibus reperti frigidi dicantur ac sicci. Tertiam deniq; sapor  
suppeditare videtur, quod Avicenn. 1. part. cantic. text. 31. illum, ut  
pure insipidum juxta Serapionem, fridum ac humidum procla-  
met. Sed verò hæ omnes infirmo stant talo, falsaq; nituntur hy-  
pothesi: quas per doctè subversas habet Zacutus Lusitanus de  
princ. Medic. hist. l. 1. Observ. 36. ad quem cupidū L. in præsens dimie-  
to. Rectius itaq; Nos, si aliquâ pollet Bezoar qualitate mani-  
stâ, caliditatem potius tuemur, freti neq; minus autoritate Mæ-  
stii Inst. Medic. l. 5 part. 2. Sect. 2. cap. 8. p. m. 614. aliorumq;, quàm ra-  
tionibus sequentibus, quia noster lapis sat largas pluvias è toto  
corporis (ignoscite verbis cit. ti modo autoris l. 4. part. 2. cap. 11.  
p. m. 557.) ambitu effundit. Jàm verò sudorifera quæcunq; vir-  
tute gaudent calida, uti v. g. radix Chinæ. vid. Schroeder. l. 4.  
Class. 1. pag. 45. lignum Sanctum s. Guajaci. id. pag. 78. Sassafras. id.  
pag. 148. plerarumq; deniq; plantarum &c. &ia. Id propter nemò  
certe caliditatem ipsi denegabit. Accedit quod teste Galeno l.  
6. Simplic. cap. de cicere & l. 8. simpl. cap. de prassio de obstructia quæ  
talia sint calida. Hunc verò inter de obstructia referri probant  
Roderic. Ac astro l. 2. de morb. mulier 5. Mercatus l. 5. de morb. mul. 6.  
& 2. de morb. pueror. 7. &c. Parum itaq; movebit nos eorum opinio  
asserentium: naturam (in provocando sudore) id præstare, e-  
jusq; robur exinde judicandum esse, quod destructis & ad cutem  
evocatis contagionis seminariis sudorem movat. Rectius for-  
san, quod turbatis pariter atq; agitatis humoribus ac quasi fer-  
men-

mentatis. Seorsim jam existentibus natura stimuletur atque ad expellendum irritetur. Quæ sententia non adeo contrariarum videtur modo distingvatur inter causam principalem proximam, quam naturæ tribuimus rectius Facultati Naturali Expultrici, & inter instrumentum, s. instrumentalem, quam lapidem Bezoar esse censemus. Cæterum de causis sudorem cienti, vid. *Mæb p. m. 281. 282.*

Thef. II. De virtute autem sudorem pellendi, cum non eadem sit opinio necessarium duxi utramq; partem exaudire. A<sup>u</sup> p<sup>u</sup>ntixōs procedunt *Garzias ab Horto, Josephus Acosta, Petrus de Osma, Saxonia Libr. de febr. cap. 37.* cujus verba hæc: reperio apud scriptores, quod eò sumptō sudor copiosus excitetur, post quem statim sublevetur. Ego tamen non vidi sudorem prorumpentem, vel si apparebat erat imperfectus. Idem l. de Plica cap. 59. sudorem lethalem & diaphoreticum non salutarem se vidisse monstrat. Exin forsitan commotus *Augustus Thonerus Observ. medic. l. 1. Obs. 2. pag. 15.* curiosè magis quam necesse erat distingvere: inter *Udorem & Sudorem*: Udorem plerumq; ciere dicit, non sudorē: serosis humoribus in superficie cutis subsistentibus eliminatis, relictō centrali venenō in intimis penetralibus hærente. Sed vero uti plurimum accidit, qui curiosi dici amant:

Faciunt næ intelligendo ut nihil intelligant.

uti perbene loquitur Comicus *prolog. in Andr. v. 17.* Huc refer & *J. B. Sylvaticum, Sanctorium method. vitand. error. in administr. re-med. l. 13. c. 4. pag. 515.* p<sup>u</sup>ntixōs rectius incedunt *Boetius, Guilhelm. Fabr. Hildanus de Dysenteria. c. 10. Nic. Monardes, Christ. Acosta.* Et ex *Arnoldo* refert *Seillerus de pest. Britannic. sect. 2.* quod per sudorem omne venenum deponat, omnemq; malignitatem, *Ryffus, Brudus, Lusitanus, Amicus de pest. cap. 46. Andr. Chiocco Mus. Calceolari sect. 3. Philipp. Hechstetter. Obs. med. Decad. 1. cas. 6. p. 77. Andr. Baccius de gemm. nat. c. 34.* Et quid verbis opus ubi quotidiana loquitur experientia.

## CAPUT XXII.

### Dosi s. quantitate.

Thef. I.

**E**Xaminatis jam ad amissim lapidis nostri causis differentiis  
G ejus-

ejusdemq; signis &c. reliquum est ut & *Dosin* hisce adjungam.  
 Ubi perpaucos auream mediocritatem diligere: majores pau-  
 lo in extremis versare deprehendo, peccantes vel in defectu,  
 vel in excessu. Illos quod spectat, timidi adeo ac trepidanter,  
 (quò vocabulo hòc in sensu utitur *Manlius in Epist. ad Craton.*) in  
 exhibendo illò fuere antiqui ut non rarò granum unum vix ex-  
 cesserint audaciam plurimorum increpantes qui ad summum 3j  
 supergressi. Ansam dedit forsàn illis dubitandi hoc, quod la-  
 pis Bezoar inter alexipharmaca vulgò recenseatur, quæ teste  
*Cesalpino* aliqua ex parte naturæ nostræ inimica esse dicuntur:  
 accedit, quod hic lapis dentibus, uti pleraq; deleteria, nigo-  
 rem quendam obducere, sed falsò credatur. *L. 2. Metall. 46.* Ne-  
 que minus ex nimio ejus usu morte mortuum quendam habent  
*Garzias l. 1. c. 45. Jordanus, Guilhelm. Fabr. Hildanus Obs. Cheir. Cent.*  
*6. Obs. 88.* Huic tamen *Obs. 89.* respondet perpulchrè inquiring:  
*quid si factitius fuisset?* Sed verò tanta hæc timiditas risum mere-  
 tur. Ad scopum itaq; collimans, opiniones veterum gradatim  
 recensere juvat: Sic granò utitur uno feliciter *Villanovanus de*  
*Dosibus theriac.* cumq; eò *Garzias* alterum quoq; admittens: *Tria*  
*grana cum ∇. destillata ex flor. aurant. vel herb. Scorzon.* contra ve-  
 nenum, totidemque cum ∇. *lilior. albor. Betonic. vel pulegii* partu-  
 rientibus exhibuisse legimus *Monardem, Amatam, Cesalpinum*  
*Gabelhoferum, Solinandrum, Ormuz;* vid. *D. Casp. Bravo de Sa-*  
*brem: Ramirez. l. c. p. 174.* A quartò ad XII. *Brudus* accedit *Lusita-*  
*nus* *Grana quinque Richardum* usurpasse ex suis epistolis constat:  
 quò & refer *Diomedem Cornarium in histor. admirand. rar. 10. p.*  
*38. & hist. 12. pag. 41.* Quantitatem horum transcendere videntur  
*Rulandus hist. 30. Diomedes, Amicus de pest. c. 46.* dum à granis sex  
 ad usq; decem & duo procedunt, quod facere & videmus *Guidon.*  
*Pancirollum rer. memorabil. recens inventarum l. 2.* Hostamen cau-  
 tos judicat *Portus 3. de peste. 12. duodecim grana* non transcen-  
 dentes, hisce terminis incedunt quoq; *Andr. Matthiol. l. 5. Diosc.*  
*c. 73. Arnoldus, Scillerus Rulandus, Heurnius, Henric. à Brà &c.*

Thes. II. Breviter quid res sit dicam: Cum iis certe non  
 stamus, neq; assentimur facile XXX. ne dicam LX. pondus  
 propinantes, quùm ventriculus gravetur, sineq; suo frustretur  
 Medi-

Medicus vid. *Wolfgang Gabelcheverus Cent. 5. Obs. Medic. cura 3:*  
*annot.* id propter in margine addit: Man soll des Bezoars nicht  
zu viel auff einmahl eingeben ex voto enim in magna copia di-  
stribui nequit. Recedimus quoq; ab illâ frustraneâ imò pericu-  
losâ Medicastrorum timiditate tertium granum vix exceden-  
tiû, quia hæc quantitas eas vires haut præstabit quæ venenis re-  
sistere possit. Hoc facientes mollius paulò cum venenis agunt:  
venenum oppugnet, non oppugnetur. Nullus enim morbus  
homines magis hõc ex insidiis aggreditur, & dum maximè blan-  
ditur, maximè nocet; & sæpe cum omnia rectè se habere vidè-  
tur, mors insperatò occupat: Hinc cum venenis lente pugnare  
haut convenit. Sed juxta illud *Ovidii l. 1. de remed. amor. 91.*

Principiis obsta: serò medicina paratur

Cum mala per longas invalere moras.

Sed propera, nec te venturas differ in horas:

Qui non est hodiè, cras minus aptus erit.

& v. 101. hunc in modum:

Vidi ego quod fuerat primo sanabile vulnus

Dilatam longæ damna tulisse moræ.

Omnium tamen optimè faciunt ii modum tenentes & fines:

Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

*Horat. l. 1. Serm. Satyr. 1.* Ergo igitur hac in re veneramur maxi-  
mè *Sylvaticum* neq; minus *Serapionem*: mediam quantitatem in-  
ter magnam & parvam optimam judicantes. Hinc *Caspar Bau-*  
*hinus loc. dict.* inquit: ego verò hætenus sextum granum non ex-  
cessi. Et iterum: qui igitur septem qui decem, & qui duodecim grana  
offerenda determinarunt, meâ opinione rectè determinarunt. Hæte-  
nus autor. Consentiant hisce *Zacut. Lusitanus, Lazar. à Scotto in*  
*suis animadv. fol. 27. Steph. Rodericus Castrensis l. 4. de meteor. mis-*  
*croc. cap. 4. Philipp Gruling part. 3. Hildanus.* Quod si verò suâ acu-  
tie, loquor cum *Zac. Lusitano*, malitiaque urgeat affectus mul-  
tò majorem quantitatem porrigere non dubitamus. Vehemens  
etenim venenum, vehemens quoque requirit antidotum. vid.  
*Zac. Lusit. de medic. princip. hist. l. 1. Obs. 35. Andr. Chiocco, Casal-*  
*pinus &c.* Hætenus de Dosi.

CAPUT XXIII.  
De Tempore, quo nimirum Bezoar  
utendum.

Thes. I.

**D**E tempore, quò nimirum utamur, multas pagellas imple-  
re supervacanei operis esse censeo cum, uti dictum, in mor-  
bis malignitatem redolentibus medicamentis idoneis cunctan-  
dum sit minimè: quia tamen quaestiones nonnullae occurrere  
videmus, eas discutiamus brevissimis. Frustra a. quaeritur quo-  
nam anni tempore ille propinandus? Hisce tamen respondeo  
(a) tempus in forò medicò dupliciter considerari, vel in statu  
naturali, vel p. n. Illo: citra periculum, (praemisissis universali-  
bus, *Deusing. Avicenna l. 4. Can. fen. 6. tract. 2. cap. 12.*) exhiberi  
convenit. Hoc verò non nisi in malignis utimur. Quod si ve-  
rò nulla subsit malignitas, non video, qua ratione omni tem-  
pore, omnibusq; affectibus adhiberi possit: Praecipuè in iis,  
paroxysmos instituentibus. Hinc non rarò accidit, ut, si in-  
tempestivè adhibeatur, materiam in corpore delitescentem ac-  
qs. sopitam in actum deducat: Exin graviora prioribus excitantur  
Symptomata. vid. *D. Casp. Bravo de Sobremonte Ramirez, Sect. 5. Res. 1. 2.* Ceterum de tempore universali & particulari ita  
à *Galenò l. 1. Cris. c. 13.* appellatò quid delirèt alii, nil ampliù addo.

CAPUT XXIV.

De Persona.

Thes. I.

**Q**uibus personis conveniat uti Bezoar, non frustra quaeritur?  
Ubi tamen verbiosiore me esse oportet minimè: Rem ut  
paucis dem, pueris mulieribus ac senibus, omnibus deniq; cu-  
juscunq; etiam, aetatis aut sexus, idoneum esse medicamentum:  
dicunt, audiamus verba *Richardi: mihi ut verè, quid sentio, dicã,*  
*videtur Bezoar medicamentum esse regium, facile, placidum, omni*  
*periculò carens & ut verbis utar. Aetii: pueris, mulieribus senib9*  
*tutissimè datur hæc medicina vel sub ipso canis fervore, quò*  
*praecipuè tempore reliqua medicamenta omnia sunt suspecta,*  
*quandoquidem corpus maximè roborat.*

Thes.



Thef. II. Quærentibus: an ad sanitatem tuendam ejus usus  
 conducat? respondeo: negativam equidem tenere Gabelchoferū,  
 Anton. Deusing, fasc. Dissert. select. de lap. Bez. §. 42. Averroëm l. 5.  
 Collig. c. 13. D. Casp. Bravo de Sobr. Ram. l. c. Paschaliū l. 1. de curand.  
 morb. c. 8. ratione utuntur, quod in sanis non existat dispositio  
 venenosa. Ast falsò: cui enim ignotum est, quod in sanguine  
 multæ lateant res calidæ, (exinde febres nonnunquam oriun-  
 tur) imò etiam venena &c. quæ partes sanguini permixtæ na-  
 turæ molestiam non creant, jam vel levi de causâ agitata, sepa-  
 rentur ingentem edentes stragem. Hinc, uti in Collegio pri-  
 vato docuit Magnificus Dnus. D. Schneider Patronus atq; studio-  
 rum meorum unicus moderator, ex motu nimio oriri potest febris  
 pestilentialis sine contagio. Quæ cum ita sint, quid prohibet  
 dicere: sanitatis tempore assumptum Bezoar non esse conte-  
 mnendum. Nobiscum faciunt Garzias, Fragosus, Paraus, Casal-  
 pinus, Boetius, Acosta, Zacutus Lusitanus de Medic. Princ. hist. l. 1.  
 quæst. 25. p. 71. lapidem Bezoar extollens mirificè, Baldæus c. 24.  
 163. An verò, uti quidem voluit Lonicerus cumq; eo Zac. Lusita-  
 nus, senium impediatur, juventutem resarciatur, senesq; faciat re-  
 puerascere? id est de quo dubitamus meritò, quicquid etiam  
 contra insurgendo adspergat laudandus alias Caspar à Reies,  
 quem adeat B. L. Elys. jucund. quæst. camp. quæst. 26.

CAPUT XXV.

De Utendi modo.

Thef. I.

UT adeò utendi modum ad finem perducam. Enage habeas  
 B. L. hæc: assumi Bezoar vel cibò vel potu: vel in ore fra-  
 ctum, donec lique scat, & lingvâ agitatum detineri. Fragosus,  
 Saraxenus. Vel deniq; sub specie pulveris sine vel cum liquore  
 conveniente eum exhiberi: Qui ultimus ut communissimus i-  
 ta etiam tutissimus propinandi modus est. vid. J. B. Sylvaticus,  
 Petr. Poterius l. 2. Pharmac. Spagyric. cap. 25. Philip. Grüling part. 3.  
 pag. 33. 34. Liquor huic additur, tum quod sit veluti vehiculum.  
 vid. Guilhelm. Fabric. Hildanus de Gangræn. Sphacel. c. 12. p. 786. tum  
 ob cautelam, ne partes terrestres faucibus adhærentes Dofin  
 imminuant: aut etiam molestiam ægroto pariant. Hic Medi-

cus illud *Walli M. M p 7* in ore semper habens incumbat ne-  
 cesse est : ut cito sc. ratione temporis : tuto , ratione effectus ; ac  
 deniq; jucunde, ratione modi curet. Hoc faciens Medicus & laus  
 & dignitas ipsi non deerit. Dictum pulverem proin in bolum  
 &c. concinnari posse non negamus. Illud autem insubidum  
 dictum puto dum nonnulli Bezoar vomitoriis non tantum *A-*  
*matius l. 2. de lap. c. 193. Mercurialis 1. de venen. 22. quin & ipsis pur-*  
 gantibus addant. Quia hæc effectu differunt quàm maximè.  
 Lapis enim Bezoar sudorem ciendo à centrô ad peripheriam  
 cutis vitiosos humores deducit : Purgantia è contra à peripheria  
 ad centrum. Naturam itaq; contrariô istô motu vehementer  
 lædi non tantum ; sed & infelices venarum obstructions sperã-  
 das esse , quis non judicat. Consultius eos facere autumo , qui  
 Bezoar solum propinant : Tunc certe Vis & Facultas ejus ex-  
 ploratur exactius, quæ obtunditur cum mixtis aliis. Vid. *cæt.*  
*Job. Matthæus. Cent. Diffic. Medic. Boetius c. 193. Fragosus , Olaus*  
*Worm Wolfgang. Gabelchofer. Cent. 5. Obs. Medic. cur. 3. Sylvati-*  
*cus &c.*

#### CAPUT XXVI.

### De Morbis quos pellere creditur Lapis Bezoar.

#### Thef. I.

**S**I *Hernando, Richardo, Cratone, Lonicero, Christoph. Acoſta* a-  
 liisq; subscribendum, nullus non morbus ab ejus usu erit im-  
 munis. Quicquid tamen sit, in generalibus hisce hære diu  
 frustraneum duxi : præstat ut ad specialiora me conferam. Ubi  
 statim, à capite initio facto occurrit cum *Cesalpino Monardes* :  
*vertigine correptos* hujus usu restituisse jactitantes. Neque minus  
*morbum sacrum* hoc medicamentô evanuisse exempla prostant  
 apud *Monardem Simpl. medic. histor. cap. 34. Paludanum Cesalpini,*  
*Olaum Worm c. 19. Andream Lacunam, Vincentium Alsarium Cru-*  
*cium Cent. 2. de quæſtis per Epistolam p. 137. Segobiensem Calenum*  
*illum Hispanicum dictum comment. in l. 6. Dioscorid. &c.* Quàmvis  
 hunc affectum capiti convenire haud dixerim : Sed ex vulgi o-  
 pinione jam loquor.

Thef.

Thef. II. *Cordis affectibus* malè ita dictis emolumento esse testes habeo in promptu: Sic in *Syncope, Lipothymia* &c. nescio quâ facultate occultâ miram præstare operam edocent nos *Andr. Baccius* c. 34. *Nic. Monardes* c. 34. *Solinander* *Cons. sect. 2. Cons. 60.* *Henric. à Bra* l. 1. de ven. cur. c. 2 p. 22. *Zacut. Lusitanus* de medic. princ. hist. l. 1. quæst. 25. *Olaus Worm.* *Philipp. Hechstetter.* *Guilhelm. Fabrit.* *Hildanus* l. de *Gangran.* *Sphacel.* c. 12 fol. 786. *Arnoldus, Manlius.* Offertur autem commodè vel in ipsò paroxysmò vel paulò ante, vacuò *Stomachò* ad gr. iv. in  $\nabla$ . rosar. si adsit febris; si verò exulet in  $\nabla$ . *carduiben.* *Meliss.* *Scorzon. flor.* *Chariophyll.* ceu docent *Monardes, Chiocco, Boetius* &c. *Palpitationi* proin *cordis* conducere testantur *Manlius* ad *Craton.* *Epist. 191.* *Heurnius* cap. de *palpit cord.* *Gregor. Horstius* apud *Giesanos* P. P. *Disert. de medicam. Disput. 4 thes. 33. & Diss. 5. thes. 16* *Job. Hartm. Practic. Chymiatric. p. m. 92.* *Wolfgang. Gabelchofer.* *Cent. 5. Observ. & Curat. medicinalium* *Curat. 3. Curat. 3.* *Boetius* p. 183. *Job. Schroederus* l. 4. *Cl. 1 de animal. cap. 11. p. m. 278.* Hinc & inter *Cardiaca* relatum fuisse *Bezoar* perhibet *Jac. Primeros.* l. 4. de *Error. Vulg.* c. 37.

Thef. III. *Pleuriticis* dein ut & *Peripneumoniacis* usu esse: cum *Brudo* affirmant: *Lonicerus, Amatus Lusitanus, Gabelchoferus* (cum  $\nabla$ . *Scabios.* *Carduiben.*) & alii. Neq; *Ictericos* sine medicinâ abire patiuntur autores: Sic ex *Arabibus* *Medicus* ille *Mauritanus* in *Hispania* natus *Avenzoar* (ab aliis *Abinzoar* dictus) l. 1. *Theisir tract. 13 c. 6* unicò hoc medicamento ad gr. iij, cum  $\nabla$ . *Cucurbitæ* ad  $\zeta$ v. exhibitò curasse filium *Azir Haly.* vid. *Zac Lusitanus, Henric. à Bra, Henr. Salmuth Monardes, Crato* *Consil. 174.* *Gabelchoferus.* ac deniq; ipse *Baccius.*

Thef. IV. *Appetitum prostratum* insuper corrigere: testes cito *Christoph. Acoſta, Zacutum Lusitanum, Andr. Chiocco, Ludovicum Gayon* l. 5 *divers. lect. c. 17.* *Laurentium Catelanum* *tract. histor. medic. von Bezoar* *Stein.* De modo cæterum nos parum solliciti, ad prolongatum *ventriculum, intestina* puto, accingimus. Ubi statim offert sese, uti frequentissimus, ita acerbissimus dolor, ille à parte affecta, ceu docent *Vincent. Alfar.* *Crucius* cumq; eo *Thom. Philol. Ravenna* cap. 12 p. 36. Sic dictus *colicus,*

*licus*, corporis humani verè tormentum, ut qui distendendò, pungendò, gravandò, rodendò & aliis modis ubi sedem fixit cruciandò atq; ita excarnificandò terebraq; instar qs perforandò (ut *Galenus l. 2. de loc. affect. c. 5.* loquitur) corpus ita emaciat, ut mors ipsa vitâ tam amarâ & cruciatu tam exquisitò longè melior esse videatur. Hoc lapide verò affectum colicum profligasse ipse testatur *Lonicerus*.

Thef. V. Quid de *affectione Cholericâ & irrequietò alvi murmure*. vid. *Casp. à Reies quest. 18. p. m. 200.* *Diarrheâ* strictè sic dicta: neq; minus *Dysenteriâ* in specie dicam: quàm felicissimè iis opitulari ex parte illius habeo *Garziam ab Orta Colloq. 17. de Costo. Ludovic. Mercatum tom. 2. l. 7. c. 2. de febr. malign.* Ex parte hujus stant *Guilhelm. Fabr. Hildhnus de Dysent. cap. 10. Philipp. Sarzenus, Philipp. Grüling.* Quibus junge, sis *Schræderum l. c. p. m. 278.*

Thef. VI. *Vermes* itidem necando expellere: ad testimonium provoco *Christ. Acofta, Nic. Moxardem, Paludanum, Lonicerum, Montanum, Richardum, Fragosum Boëtium*, quorum hic quidem sequentem conficit Pulverem

Rx. *Herbæ Lumbric. ʒij*

*Semin. Santon. ʒj*

*C. C. usti*

*Semin. portulac.*

*Carlina an. ʒʒ*

*Lapid. Bezoar Peruviani ʒʒ*

M. F. P.

Hunc autem manè jejunò stomacho, eâ quantitate, quæ Medicò commoda videtur, pro ejus cui exhibetur ætate propinari jubet. Idem solo Bezaaris usu cum  $\nabla$  *gramin. aut Carduib. tineas* neci dedisse affirmat, Vid. *Andr. Chiocco Mus. Calceolar. sect. 3. Olaus Worm. c. 19. p. 111.*

Thef. VIII. *Lithontripticum* quoq; Bezoar esse medicamentum non paucos, neq; eos tibi domesticos offero testes: *Brudum Lusitanum, Acoftam, Andr. Lacunam, Zacutum Lusitanum l. 1. Med. Princ. hist. Obs. 36. Gl. 2. Prax. admirand. Obs. 67. p. 57. Euf. Nieremberg. Hist. Natur. l. 9. c. 60.* Quem lapidem & in *arthritide* commendatum videmus apud *Meb. l. 5. part. 2. Sect. 2. c. 14. p. m. 622.*

Thef.

Thef. VIII. Accessum facio ad *uterum*; huic & totum dicatum esse comperire licet, *Casalpinus, A. Chiocco, Petr. Poterius l. 2. Pharm. Spagyric. c. 25. p. 529.* In specie autem *obstructiones mensium* tollere dicitur, *Nic. Monardes Zac. Lusitanus, Mercurius, &c.* Quid? quod in *chlorose* miras præstare vires asserit *Lud. Mercatus l. 2. de virg. & viduar. melanchol. c. 6.* Et *Rodericus A Castro part. 2. de morb. mulieb. l. 2. c. 5.* autor gr. vj. *Bez. Orient. cum ∇. Artemis.* profuisse in *suffocatione*, s. uteri strangulatu, *Casp. à Reies quest. 46. Acastrum* sequuntur *Philipp. Hechstetter. Obs. Med. part. 2. Decad. 4. C. 1/3. pag. 115. & 116. August. Thonerus Obs. med. l. 3. Obs. 5. Partum* mox *facilitare secundinasq;* remorantes pellere perhibetur, vid. *Gbr. Acoſta, Ludovicus Gyon Dolanus l. 5. c. 13. J. Euf. Nieremberg. Gabelchoferus, & plures ejusmodi alij.*

Thef. IX. In morbis *melancholicis*, iisq; *inveteratis lapidē Bezoar* commendāt valdè *Garzias, Jordanus de pest. tr. 3. c. 9. Ryffus, Monardes, c. 34. Boetius l. 2. c. 193. P. Baldeus c. 24. Ol. VVorm. Solinander sect. 2. Conf. 60. Gabelchoferus, Heurnius, l. 2. Method. ad Prax. c. 5. Zac. Lusitanus l. 1. M. P. H. quest. 25. Clusius, A. Chiocco, Petr. Poterius l. 2. c. 25. & sic porro, Panacea tandem instar Bezoar esse dictitant *Baubinus c. 32.* quem tamen rectius forsitan rejicit *Manfr. Septalius*; Quo refer & illos, *Bezoar Alexipharmacum universale esse proclamantes.* vid. interim de antidoto universali *Primeros l. 1. d. E. U. c. 7. Casp. Bravo de Sobr. Ramir. p. 169. &c.* Labet itaq; cum dicto *Septalio* concludere: *Panaceam universalem, quam Bezoar esse Logiatri aliqui imaginati sunt, ne credas, dum enim nimium illi tribuere conati sunt plurimum, illius gloriam labefactarunt, c. 27. p. 73.**

Thef. X. Quam autem ad *febres* descendam, prius pauca dicenda, nimirum concedentes equidem hisce morbis prolati emolumento esse posse, si à malignitate aliqua aut occulto veneno ortum traxerint, alias negamus. Accedit ⊖ s. natura ejus salina quâ præditus est lapis: Hoc Facultatem Naturalem Expultricem incitans, insurgit hæc ad removendum id quod sibi erat molestum. Hac ratione neq; minus in mensium cessatione. vid. *Joël. l. 8. Pract. Sect. 2.* quàm partu difficili, secundinis remorantibus, ac deniq; in ipsis calculi affectibus ejus usus esse potest.

Thef. II. Nunc quæritur merito, an quocq; in febribus conducatur? Distinctè hîc respondendum censeo, ne confundantur febrium genera. Quùm verò, uti notum, febrium altera sit  $\chi$   $\xi$   $\nu$ , altera  $\chi$   $\xi$   $\sigma$   $\nu$ :  
H Hæc

Hæc duplex, vel ratione spirituum vel ratione humorum. Illis non convenire verisimile est, quia spiritus non putrescunt, multò minus induunt malignitatem. Patet, hisce tantum dicatum fuisse Bezoar, & quidem ratione malignitatis. vid. Chainus, Manlius, & D. C. Bravo, Seccessionem equidem facere videtur Augenius Epist. tom. 1. l. 9. Epist. 1. & 2. Bezoar in putridis febribus improbens. Ast verò vir ille Clarus forsan non intendit: in putredine maximè nidulari venenum. Hinc caecochymicus peste laborare incipiens purgatione utitur rectè & de consilio Medici prudentis, uti me docuit Nobil. D. Præses in horis privatis. Id propter præservationis gratiâ commode & putridis confert.

Thes. XII. Neq; erit alienum diluere & illam disquisitionem: An etiam in febribus, quas stigmata rubra comitantur & pulicum morsus instar per cutem adspersa apparent (quæ febris Hispanis Cavardete, s. Tawardete dicitur Nicol. Monard. c. 34.) aliquid præstet Bezoar? Rem ut summam exponam: quamvis J. B. Sylvaticus humorem crudum prætexens ejus usus proscribat, rectius tamen faciunt ii qui Bezoar commendant: partim quia ἐξανθήματα & ἐκθήματα, variola atque morbilli ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ceu loquitur Cous Sect. 6. Aph. 55. malignitatem junctam habent: partim quod natura hoc in opere juvetur, illudque μιάσμα vitiosum ab interioribus ad exteriora excutiat: quò retrocessio intusque coarctatio, non nisi anxietas aliq; symptomata cum maximò vitæ discrimine augentur in agro: id quod tamen intellectum volo: si nimirum tardè & parcius erumpant ἐξανθήματα. Alias non idè copiosè, quibus de consulantur Medicorum Libri. Ceterum vid. Nic. Monardes, Boetius de Boodt, Ol. VVormius, VVolfgang Gabelchoferus, Cent. 5. Curat. & Obs. medic. curat. 3. p. 5.

Thes. XIII. De febribus malignis pariter ac pestilentibus multa differere supervacanei operis esse censeo: crambe enim biscocta mors. vid. temporis lucrandi ergò Acoffa, Lacuna, Lonicerus, Casalpinus, Amarus Cent. 3. Cur. 74. Rulandus de lue Ungarica c. 6. Petr. Poterus c. 25. pag. 529. Philipp. Hechstetterus casu 9. Matthæus de febr. pest. Mercatus l. 7. de febr. Augenius Amicus tr. de pest. c. 46. Diomed. Cornarus c. 32. Richardus Ludovic. Gyon, Augustus Thonerus, Guilbelmus Fabr. Hildanus de gangren. Spacel. c. 12. fol. 786. Gabriel Fallopius, Fonesius, Andr. Chiocco, VVolfgang Gabelchoferus, Mars. Ficinus Epidem. antiq. c. 24. Ol. VVormius Philipp. Grüling. part. 3. pag. 32. & ejusmodi plures: notanter autem pestilentes malignis

malignis annexi, quia hæc à se invicem non nisi gradu perniciæ, non gradu veneni discernuntur.

Thef. XIV. Quod si verò effectu frustratur medicus non lapis propterea genuinus incusandus, aut temerè rejiciendus, eum fecisse legimus *Cratonem libell. de præcav. a febre pestilent. Herc. Saxoniam de febr. c. 37. Sanctorium l. 13. c. 4. Ambrosium Paræum* (diligentissimum scriptorem & longè præstantissimum & exercitatissimum cheirurgum ab *Hildano* dictum *tr. novo de bydrarthros. hydrope articularum, c. 16 pag. 832.) l. 20. c. 36. Matthiolum comm. in l. 4. Dioscor. 17. de napello p. m. 768. Alex. Massariam l. 7. Prax. c. 27. Valesium. 4. method. 2. Thom. Jordanum de peste Phenomenis tr. 2. c. 6. Job. Hennemannum Imperatoris Rudolphi Archiatrum & Chymicum suo tempore famigeratissimum, in *Idea Loimode, s. peste. c. 36. & c.* Sed circumstantiæ sequentes probe ponderandæ: an nimirum lapis Bezoar natus sit aut genuinus: quippè qui ubiq; ( $\alpha$ ) legitimè & ( $\beta$ ) justò tempore ( $\gamma$ ) justaq; quantitate ad venenum adhibito, officium suum præstat. Vid. *Casp. à Reies quest. 67. p. m. 923.* An verò Sophisticus, in quem etiam Medicus alias Dogmaticus incidere potest. Hic certe effectum felicem vix ac ne vix quidem reddet: quin potius gravissima inferet Symptomata. Vid. *Hildanus Cent. Obs. Cheir. 6. Obs. 88.* Huc refer & *agri de Medico* opinionem s. fiduciam, quæ si tota in agrum fuerit, magnâ restitutionis spè in animis eorum excitat, quæ lætitiâ pariendo omnium medicamentorum operationes felicissimè promovet eum loquitur prolixè *Job. Mattheus Cent. Diffic. medic.* Quàm stupenda autem sit  $\omega\alpha\eta\mu\epsilon\tau\epsilon\omega\alpha$  animi vis prolixè tractant *Casp. à Reies, Mæbius* ac deniq; *Thom. Philol. Ravenna c. 6. p. 19.**

Thef. XV. Ne nihil intactum remaneat notamus antiquos pariter ac recentiores etiam extrinsecus hoc lapide uti. Sic in scabiè malâ, quæ & ferina dicitur, *Boetius & Phil. Baldeus* neq; minus in leprâ, *Garzias, Sylvaticus, Wittichius, Ol. Wormius*; pariter ac in *Græcorum Elephantiasi, Ludovicus Gyon & c.* utuntur. In cancrò ulceratò *Roderic. à Castro de muliebr. medic. part. 1. l. 1. c. 22.* ut & in ulceribus antiquis *Acosta Fragosus, Andreas Cbiocco, Gabelboferus & c.* deniq; *Baccius* commendant. Quò refer morsum venenatorum animalium. vid. *Agricola, Garzias, Acosta, Ol. Wormius, Cardanus 3. de venen. 10. Ludovic. Guilb. Fabr. Hildanus Obs. Ch. Obs. 87. Jordanus de peste tract. 3. c. 9. Zacut. Lusitanus Obs. 35. Henr. à Brâ, Boetius c. 193. Guido, P. Ancirollus.* Venenum enim extugere dicitur,

eur, Car. Clusius, & ex Arabibus Hachamez Ebenterifi, Averroës, Rbafes, Moyses l. 1. de venen. c. 3. Ultimò deniq; pro Amuleto cum habent Andr. Matthiol. comm. in l. 5. Diosc. c. 73. p. 940. Serapio, Monardes, Boetius, Sarazenus, Cardanus, Augenius, Ol. VVormius. Fides sit penes autorem.

Thef. XVII. Cœterum de Bezoardicis quæ nominis affinitas in memoriam revocat verbosior me esse temporis & instituti ratio prohibet: Sufficiat interim vel Autores proposuisse. Sic de Bezoar Artificiali. vid. Job. Hartmann in Basilic. Chymiat. Oswaldi Crollii. p. 262. quod & Antimonium vocatur Diaphoreticum, alii ab Italica voce; Pietram d' Aventura. Olaus VVormius c. 17. p. 102. De Minerali, præter Hartmannum consulantur Guerner. Rollinc. Chymia l. 5. sect. 6. c. 5. p. m. 368. & cap. 6. ejusdem Libri. De Bezoar minerali Hieronymi Claramontii vid. Thom. Bartholin, Epist. Medic. Cent. 1. Epist. 49. p. 202. Phil. Grüling. p. 27. tr. 3. Bezoarticum verò artificiale Meum desumatur ex selectiorum remedior. Libello unico Clarissimi Joannis Prevotij pag. 48. Ad quem & ejusmodi alios B. L. dimitto in præsens. Et hæc sunt quæ de prolixâ admodum ut & perarduâ materiâ pro angustiâ Dissertationis placuit libare: Exquisitori forsitan atq; accuratiori expolitione præsens thema condignum fuisset: Sed verò quia huic exactius elaborandæ vix unus sufficeret, quantumvis maximæ capacitatis, liber, id propter colophonem hîc imponere consultius duxi: Quod si verò hallucinari contigerit veniam ab æquo iudice speramus: cùm docete Gracô Medicorum duce (uti per benè eum vocitat Nobil. Dn. Præses Promotor meus atq; fidelissimus Ductor non intermorituro cultu devenerandus l. de morb. Cephalic. tr. de Vertigine c. 1. p. m. 7.) Galeno comment. 3. prognost. Hippocrat. 1. 41. supra captum hominis sit hallucinari nonnunquam. In maximis quid voluisse sat est. Interim finimus eò ipsò quò τὸ γινώσκοντες Rolfincius suum de purgantibus tractatum ex Abuali IbnSina;

LAUS DEO DOMINO SAPIENTISSIMO.

**N**unc artis Medicæ specimen laudabile promissis  
Atque tuæ præstas sedulitatis opus.  
Nunc, quod non dederis malefidæ liba Vacunæ  
Donec Te tenuit Leucoris alma, probas.  
Laudo conatum, DEUS hæc Tua cæpta secundet  
Atq; Tuis studiis adsit, ut antè fuit.

*Paucis hisce Eruditissimo Dn. AUCTORI Studioso pio maximè atq; industrio, Commensali suo & Amico dilectissimo, gratulari, animûq; propensû, cû appreciatione omnigena prosperitatis, contestari voluit*

**MICHAEL FRIDERICUS LEDERERUS, D. & P. P.**



**Q**uas lapis hic vires habeat, quos præbeat usus,  
BECKERE, luci Specimen exponit Tuum.

Perge Machaoniis vigil impallescere chartis,  
Labore partum spontè succedet decus.

*Hicse Clarissimo Dno. Respondenti ac Autori disputationis de specimi-  
ne ingenii, industria, peritia hoc tam insigni gratulatur*

Conradus Victor Schneider, Medic.D.

Sereniss. Elect. Sax. &c. Med.

&c. &c.

---

**U**T maximam meretur à Medentibus  
Laudem Lapis, seu Bezoar, seu Belzoar

Vocare mavis: sic Tuos Docti probant

In arte Phœbeâ profectûs; publicâ

Cum disputatione Lapidis optimi

Usam eruditè tradis atque originem.

Bene perge: & aurum gignet hic lapis Tibi.

*festinante calamo gratulat. Doctissimo Juveni*

Balthasar Stolberg/ Græcar. Liter. Prof. Publ.

---

*Ad Præstantissimum*

**DN. GOTTLIEB BECKERUM,**

Medicinæ Studiosum,

Conrad Samuel Schurtzfleisch, Hist. P. P. Extr.

**Q**uàm frugi & assiduus sis, mi BECKERE, quamq; nil stu-  
dii prætermittas in ea vitæ ratione, quæ ad laudem tuam  
atq; medicinæ decus spectat, comprobas ipse exemplo, & fa-  
cis, ut tanto libentiùs agnoscam, quòd SCHNEIDERO au-  
ctore proficis, per quem & ornamenta sua recipit medicina,  
& omnem pristinum splendorem. Itaq; præclarè existimas,  
quòd cum naturæ bonitate atque ingenio, quod in te egre-  
gium observo, exercitationem conjungis, & spatia, quæ cœ-  
pisti, conficis pulchrè, ac rectè laudabiliterque declaras, o-  
mnes boni Medici partes & velle te absolvere, & tanto du-  
ce pos-

ce posse. Quæso te, hunc animum serves, & quam optimo  
Patri Fratribusque de Te excitasti spem, impleas tandem ac  
felicissimo eventu tuearis ! Wittebergæ è Museo X X V I I.  
Quinētil. A. cl. Ioc LXXIII.



**T**E, BECKERE, probat nobis clarissima Virtus  
Sat Tua, commendat Te Medicina Tuis.  
Nec Tibi suffieunt hæc omnia. Publica testis  
Extet, ut & mundus sedula facta sciat,  
Pagina quod præsens præstat, feliciter urge,  
Porro opus, atq; dabit mille Galenus opes.

*Gratulab. scrib.*

Christianus Donati, Log. &  
Met. Prof. P. Extr.

---

**B**ECKERE, Nobilis Patris non degener  
Fili, nec impar Fratribus  
Frater catis. Rarum ingenî tentas opus,  
Dum disseris de BEZOAR,  
Ac promissilla, quæ Medicinæ sinus  
Abscondidit, feliciter,  
Sic est. Latere nescia est mens ignea,  
Matura rumpit carceres.  
Enitier sic perge, docto sidera  
Continge posthæc vertice.

M. Johann. Clodius, F. P. A.



05 A 1337


**ULB Halle** 3  
003 781 100



WOM







QUOD FELIX FAUSTUMQUE ESSE JUBEAT  
DIVINUM NUMEN!  
*Autoritate Gratosissima Facultatis Medicæ  
consentiente,*

# APIDEM BEZOAR,

SUB PATROCINIO  
*Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi,  
Experientissimi*

## CONRADI VICTORIS SCHNEIDERI,

*Medic. D. Prof. Publ. Celeberrimi, ejusdemq;  
Senioris Gravisimi: Potentissimi Electoris Saxonæ &c.  
Medici Famigeratissimi, Spectatissimi,  
Præceptoris & Promotoris sui omni honoris  
ac observantiæ cultu etatè suspiciendi, prosequendi  
Publicæ τῶν φιλιᾶτρων ventilationi  
submittit*

**Gottlieb Becker/ Stolp. Misnicus.**  
*Acroaterio Medicorum hor. Antemer.  
d. X. August. Anni M. DC. LXXIII.*

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS HAKEN.

